

IN LIBROS  
S.BERNARDI ABBATIS  
DE CONSIDERATIONE  
COMMENTARII  
*Critici , Morales , Politici*  
AUCTORE  
D. JOANNE SIANDA  
A' MONTE REGALI  
Abbate ex Ordine Cisterciensi

*Congreg. S. BERNARDI Assistente Generali.*



ROMÆ, ex Typographia Antonii de Rubeis. 1749.  
SUPERIORUM PERMISSU.

IN LIBROS  
SBERNARDI ABBATIS  
DE CONSIDERATIONE  
COMMUNICATI  
GREGORII MELISSÆ, PONTE  
ACOTOAE  
D JOANNE SIVANDE  
A. MONTE REGIALE  
APPEND. ex CHINE CHYPERIENSI  
CENSUS S. BERNARDI VITÆ ET OPERÆ



ROMÆ ex Typographia ANTONII FRANCISCI TIEI  
SURNATIOMINUS ET MELLUS.

# INTRODUCTIO

## AD TOMUM SECUNDUM.



Um duo sint mala , quæ maxime militant adversus animam, vanus scilicet amor mundi , & superfluus amor sui ; utriusque malo , præsentes Libri de Consideratione , obviare noscuntur ; quandoquidem per sanam doctrinam , quam continent , per admirabiles ascensiones ad quas disponunt serio legentes , per salutaria monita , quæ exhibent , farculo disciplinæ Ecclesiasticæ , prava quæque in moribus superflua refecant , & fucum vanitatis sagaciter dissipant , veraciterque distinguunt à luce veritatis .

Opportuna utique medicina , ingruentibus in Ecclesia malis , semper fuit accurata SS. Patrum lectio , & meditatio , quandocumque eorum scripta , à legentibus , transferantur in opera . Nihilominus post tot sacras doctrinas , saluberrima monita , & sanctas institutiones , quæ scripserunt ad nostram eruditionem , emendationem , & salutem Patres nostri , quid est hoc , quod

semper minus instructi , semper magis fulcro bonorum operum destituti vivimus , & nihil minus studemus , quām facere , quæ magistri veritatis studuerunt docere ? Utique sicut lux in cassum circumfundit oculos cæcos , & clausos , sic ex lectione Sanctorum Patrum non proficimus , quia oculis clausis interioris mentis , ad eorundem lectionem accedimus . In cæno vanitatum mundi hujus immersis , certè non datur posse statim exsurgere , ea percipiendo , quæ sunt spiritus Dei ; Quia Spiritus Sanctus disciplinæ effugit fictum , quod est vita vanitatibus seculi addicta : numquam Spiritui veritatis , pars ulla erit , cum mundi vanitate . Quæ enim societas ei , quæ defursum est sapientiæ , cum sapientia mundi , quæ stultitia est apud Deum , aut sapientiæ carnis , quæ & ipsa inimica est Deo , cum doctrinâ Sanctorum .

Quisquis per lectionem sacrorum librorum , verè cupit proficere , à vanitate sapientiæ mundi , debet cor suum avellere : ab occupationum ingruentium perturbationibus , & animum nimis dissipantium , externalium curarum tumultibus , se subtrahere ; siquidem ad intelligentiam sacrorum

rum librorum , solum mentes invitantur pacificæ , quæ scilicet in viâ vitæ ambulare desiderant . Sic ambulanti , & in animo contrito , & humiliato legenti , tunc excitatitur cor ejus ad canticum novum , ut cantare valeat in viis Domini , quoniam bonus , quoniam suavis . Tunc dirigentur gressus ejus in viam pacis , quæ sola dicit , ubi magna est gloria Domini .

Juxta ascensiones , quas quisque disposuit in corde suo , cum ad sacrorum librorum lectionem accedit , à Deo conceditur recedere à vitiis , & ire de virtute in virtutem . Sed si qui sacros libros assumunt , non ad ascensiones , sed forte ad descensiones dispositi accedant , quid mirum , si in sacra lectione non inveniunt supernam unctiōnem magistrām . Legimus sacros libros , non ut veritatem apprehendamus , & disciplinam , ne quando irascatur Dominus , sed ut novitatem aliquam deprehendamus ; non ut scripta ad nostram salutem , convertamus in facta , sed ut quæ hactenus recepta fuerunt ut immobilia , revocemus ad dubia ; non ut scrutemur nos ipsos , lumine spiritualium dogmatum , quod præferunt , sed ut critics eruditī appareamus in scrutinatione

ne librorum. Accedat ad lectionem sacram  
devotus , qui vult abscedere compunctus;  
accedat humilis , qui vult remanere erudi-  
tus . Quotquot, devotis cum sensibus, libros  
à S. Bernardo Ecclesiæ Doctore mellifluo,  
superna unctione magistrà, conscriptos per-  
voluerunt , nonnisi stimulos pietatis intel-  
lexisse professi sunt , à quibus cum singu-  
lariter Ecclesiasticos , necessè sit excitari,  
ideo plures Summi Pontifices , Librorum  
de Consideratione meditationi addictissimi,  
etiam quotquot erant de Clero , in Libris  
de Consideratione pervolvendis, assiduos vi-  
vere , sæpenumero hortabantur , in quibus  
S. Doctor , maximè in tertio , & quarto ,  
perstrinxit omnia pietatis monita , quorum  
praxi , potest Ecclesiasticus , juxta Sacros  
Canones , apparere compositus .





**SANCTI BERNARDI ABBATIS**  
**DE CONSIDERATIONE**  
**LIBRI TERTII**  
**CAPUT PRIMUM**  
**SYNOPSIS.**

*Ad considerationem eorum, quæ sunt sub Pontifice, pro-*  
*greditur in hoc primo capite libri tertii de Consideratio-*  
*ne S. Bernardus. Cum verò universus Orbis sit sub Pon-*  
*tifice, consequens est, totius terrarum orbis curam, Ponti-*  
*fici esse demandatam: quam veritatem probat Mellifluus*  
*Doct̄or exemplo Apostolorum, quo satis dilucidat, qua-*  
*ratione, quo jure, quo titulo, Orbi universo præesse di-*  
*catur Summus Pontifex, totius Orbis Dominus nuncupa-*  
*tus; simul, & semel ostendens, quatenus Ius dominii*  
*Pontificii extenditur, non modò supra omnes Catholicos,*  
*sed etiam supra Hæreticos, & Schismaticos, qui à Sum-*  
*mo Pontifice, vel corrigendi sunt ne pereant, vel coer-*  
*cendi ne perimant. Quapropter curare debet Summus*  
*Pontifex, ut incredulis prædicetur Evangelium. Innuit*  
*etiam, quare ex prædicatione Evangelica, non colligat,*  
*quem desiderat Ecclesia profectum. Itidem ex avaritia,*  
*& am-*

*Et ambitione prædicantium, quot mala procedant. Demum contra ambitionem, S. Bernardi zelus invehitur.*

### S E C T I O P R I M A .

*Finis superioris libri, huic principium ponit.*

**N**on modo, quæ consideranda, sed quæ agenda occurunt à Summo Pontifice, pertractare proposuit S. Bernardus, in his quinque de Consideratione libris. Primi quatuor plus actionis habent, quam Considerationis. Quintus verò in pura Consideratione versatur. Plus, inquam, actioni, quam considerationi congruunt priores quatuor libri, in quibus de his, quæ sunt *intrà*, & *extra* Pontificem differitur. De his verò, quæ *supra* sunt agere, quintus liber sibi omnino vindicat. Circa ea, quæ *intrà* Pontificem sunt, & consideranda occurunt, primus, & secundus liber integras partes expleverunt; ad ea verò, quæ *extra* sunt discernenda, tertius, & quartus liber, suas partes absolvunt. Cum verò ea, quæ *extra* Pontificem sunt (præscindendo ab his, quæ sunt *supra*) alia *infra* sint, alia *circà*; ut ordinata methodo procedat Sanctus Doctor, primò de his quæ sunt *infra* Pontificem loqui aggreditur, in hoc tertio de Consideratione libro; de illis, quæ sunt *circà*, in quarto sermonem facturus.

### S E C T I O S E C U N D A

*Itaque juxta promissum illius, consideranda que sub te sunt.*

**D**E his quæ sunt sub Summo Pontifice, sermonem facere promiserat S. Bernardus, in exitu libri secundi: tertium aperiens, promissum absolvit.

## S E C T I O T E R T I A

*Quænam sint ista, non est quod à me quærendum  
putes, Sacerdotum Optime Eugeni.*

**O**ptimum censetur, & dicitur, quidquid in ea perfectionis linea, in qua optimum prædicatur, cæteras quascumque perfectiones, inter sublunaria, quantum compossibile est, videtur excedere. Etiam ad distinguendam supremam dignitatem, quæ alias quascumque dignitates præcellit, extenditur hoc superlativum, *Optimum*. Hinc passim legitur antiquis in monumentis, quæ Imperatoribus Romanis dicata conspiciuntur. *Cæsari, Optimo, Maximo*. Neque magis honorificum, hactenus eloquentia terminum invenit, quo in Pontificia, aut Cæsarea dignitate constitutos honoraret, quam *Optimos* prædicare. Certè hoc vocabulum *Optimum*, tot Imperatoribus consecratum, non ad personam, sed ad dignitatem Cæsaream appellare debuit, cum perspicuum sit, plurimos Cæsares, quoad vitam, & mores, non *Optimos* inter homines fuisse, sed pessimos. Quantum quisque cæteros dignitate excedit, tantum virtutibus præeminere par est. Optimus dignè commendatur, qui non ratione dignitatis, sed ratione virtutis, studet cæteris prælucere. Hujusmodi fuisse Eugenium III., quem *Optimum* proclamat S. Bernardus, nemo potest ambigere. Procul enim à D. Bernardo, semper fuit adulatorius calamus. Quod si S. Abbas, Eugenium Sacerdotum optimum prædicavit, *Optimum* veneratus est, non modo, quia cæteris præmineret Sacerdotibus, ratione Pontificiæ dignitatis, sed quia in exercitio virtutum, cæteros etiam Sacerdotes sui ævi, præire optimè noverat. Quam veritatem manifestè perhibuit felicissimus Eugenii decessus, in commendationem optimæ probitatis tanti Pontificis, à Deo miraculis illustratus. Omnes Ecclesiastici debent inter Sacerdotes se infimos credere, & indefessa sollicitudine, ita æmulari carismata meliora tenentur, ut in *Optimos* Sacerdotes evadant.

To.II.

B

SE-

## SECTIO QUARTA

*Rectius fortasse, quæ non sunt quæras.*

**U**Num ovile, unus Pastor in Ecclesia Dei; quod si unus Pastor, non est vel unam ovem invenire, quæ ad Pastoris curam non pertineat, quæve Pontificiæ sollicitudini esse non debeat subjecta, nisi aliquis fortè sit ita amens, qui inter Christi oves computari, aut erubescat, aut recuset; sed etiam renuentes, sollicitus Pastor compellere debet suam introire in caulam. Proinde subjecti sunt Romano Pontifici (quem verum, & supremum Pastorem esse omnium animarum, ex Christi præscripto confiteri tenemur) omnes Catholici, ad hoc ut in Ecclesiæ ovili proficiant, sub Evangelici Pastoris custodia. Etiam Romano Pontifici subjecti sunt à fide aberrantes, ut per ejus sollicitudinem, si fieri potest, qui non sapiunt sapient, qui despiciunt resipiscant. Demum Romano Pontifici submissi vivere gloriantur Reges terræ, qui fidei lumine illustrati, optimè percipiunt, se per submissionem, quam præstant Summo Sacerdoti, traduci debere à terreno Regno, ad Cælestē; illi siquidem, cui ad ultimum finem, nempè Cælestē Patriam, pertinet directio animarum, congruum est subjectos vivere, quotquot ad Cælestē Patriam aspirant. Dum igitur de Pontificiæ potestatis plenitudine sermo instituitur, rectius fortasse quæri potest, qui nam sint, qui ejus sollicitudini subjecti non vivant: proinde.

## SECTIO QUINTA

*Orbe excundum ei, qui fortè volet explorare, quæ non ad tuam pertinent curam. Parentes tui destinati sunt, non aliquam regionem, sed totum debellaturi orbem &c.*

**Q**ualis fuerit Bernardi sensus, de Summi Pontificis honore, seu potius onere, & de summa illius potestate,

state, super Orbem Universum, identidem colligere est ex illis sensibus, quos suis in operibus passim inservit. Præfatis autem in verbis, expresse S. Doctor afferit, Pontificiam potestatem super orbem universum se extendere, scribens. *Orbe exeundum ei &c.* Cura geri nequit, nisi cui commissa est cura, etiam sit commissa potestas, jurisdiction, & auctoritas. Auctoritatem Pontificiam sese extendere super Orbem universum, omnibus in Conciliis semper proclamata fuit hæc innegabilis veritas; quæ ut magis fiat obvia, cuicunque, de hac universali potestate Pontificia, in fano sensu, sermonem instituere volenti, debet esse persuasum, spiritualem authoritatem præcellere temporalem, & hanc ad illam promovendam, fuisse à Deo ordinatam; si enim Deus, ut par est, semper primariò intendit gloriam suam, quæ non melius elucescit, quàm in acquisitione animarum, per dilatationem Fidei, & Ecclesiæ incrementum, cui acquisitioni, & dilatationi, semper infondere debet Pontificia potestas, ad hoc specialiter à Deo ordinata; consequens est temporalem potestatem, ad spiritualem promovendam, fuisse à Deo ordinatam, & hanc tantum illi præcellere, quantum spirituale temporale antecellit. Consequens inquam est temporalem potestatem, ubi agitur de acquisitione animarum, per dilatationem Fidei, & Ecclesiæ incrementum, debere spirituali potestati quodammodo ancillari. Cum autem spiritualis potestas, quæ per universum Orbem extenditur, tota plenè, & plenariè fuerit à Christo, in suo Vicario Romano Pontifice constituta, utique *Orbe exeundum ei, qui fortè vollet explorare, quæ non ad Pontificiam curam pertineant,* & quæ sit pars Orbis terræ, in quæ Romanus Pontifex suam exercere non valeat potestatem, jurisdictionem, & curam. Christus enim destinavit Apostolos, non alias regiones, sed omnem terram suæ legi acquirere. *Ite in universum Orbem.* Dictum est illis, ex quo factum est, *ut nimis confortatus sit Principatus eorum:* eis Romanus Pontifex successit in hæreditatem; quapropter Orbe exeundum ei,

qui fortè volet explorare, quæ non ad Pontificiam curam pertineant.

### S E C T I O S E X T A

*Non enim per omnem reor modum, sed sanè quod antenius,  
ut mihi videtur, dispensatio tibi super illum tradita est,  
non data posseſſio. &c.*

**V**erum in omnibus, & per omnia, totius Orbis dominium, Christo competere, & jure creationis, & merito redemptionis, & dono Patris, quicumque fidei lumine est irradiatus, non potest non cognoscere, & confiteri. Christus ergo verus est, & unicus totius Orbis Dominus, siue exercitium dominii voluit ab hominibus adimpleri: Dominium quidem temporale, à potestatibus saecularibus, quas in Regnis, & Principatibus, ad exercendam justitiam assumpsit. Dominium vero spirituale, in lege gratiæ, à D. Petro, ejusque successoribus. Sed ut aliora utriusque dominii, siue spiritualis, siue temporalis principia repetamus. Certum est, quod poterat Christus, verus totius Orbis Dominus, cum inter homines conversatus est in carne visibili, tamquam Rex Regum, & Summus Sacerdos, utramque potestatem, temporalem scilicet, & spiritualem exercere, quæ in Patriarchis jam ad plura saecula unita, ab ipso mundi exordio apparuerat; sed quia ad erudiendos, pro Regno Cælesti acquirendo, sicut Christus venerat, mortales, magis consonum esse noverat, exemplo humilitatis, & mansuetudinis inter homines conversari, non acquievit regia insignia accipere, quæ omni jure, tamquam vero Orbis Domino, ipsi erant debita, & ultrò etiam ipsi fuerint oblata, cum venerunt homines, ut eum facerent Regem. Sed non ideo, quia regalibus insigniis circumainctus non apparuit, Rex non fuit; immo tamquam Regem, eum Magi adoraverunt; interrogatus insuper, ergo Rex es tu? ego inquit in hoc natus sum, & in hoc veni in mun-

mundum. Christus ergo verus semper fuit Rex pacificus, & Princeps Regum terræ, licet regiæ potestatis exercitium, his, qui tunc principabantur reliquerit, cum venit in mundum in visibili carne, & usque ad finem sæculi, potestatis sæcularibus, successivè relinquere decreverit. Ità tamen Christus, hoc regalis potestatis exercitium, quod per se exrcere noluit, sæcularibus potestatis commisit, ut necessariam Summo Pontifici subordinationem, quem tamquam caput Ecclesiæ, suumque Vicarium in terris selegit, fervare tenerentur, quandocumque de Ecclesiæ exaltatione, & animarum profectu promovendo ageretur. Ratio autem, propter quam Domini temporales in suo regimine, præfatis in circumstantiis, subordinationem Christi Vicario servare tenentur, est, quia Christus qui Orbis universi possessionem sibi vindicat, & jure creationis, & merito redemptionis, & dono Patris, sic disposuit, ad universæ Ecclesiæ, & boni spiritualis augmentum, quod Christus primariò semper intendit, salutem scilicet animarum, ad quam facilius obtinendam, Vicarium sibi constituit Summum Pontificem, cui totius curam Orbis commisit: cui sensui inhærens S. Bernardus, scripsit in præsenti ad Eugenium: *Tu curam illius habe: Sed ità totius curam Orbis commisit, ut semper spirituale respicere debeat incrementum, undè subdit: Pars tua hæc, ne ultra extendas manum tuam: idest, ut ea moderatione se gerat Pontifex in cura totius Orbis, ipsi à Christo demandata, per quam in omnibus actionibus suis, manifestè semper appareat, quod solam querit Dei gloriam, quæ non melius lucet, quam in lucro animarum.*

## S E C T I O S E P T I M A

*Quid inquis? Non negas præesse, & dominari vetas; Pla-  
nè sic; quasi non benè præsit, qui præsit in sollicitudi-  
ne &c.*

**F**acile est transire à dispensatione ad dominationem, nisi oculata moderatio ejus, qui tamquam dispensator à Domino præficitur, humanæ propensionis superbiæ, ad altiora continuò enitenti, ita semper obsistat, ut in dispensatione, dominationem sibi arrogare non valeat. Sæpè repetitum, prophanis, sacrisque in historiis, legimus hoc scandalum, nempè plures à Principibus dispensatores electos, dominium sibi arrogasse: Imò aliquando ipsi Principes, dispensatores à Deo designati, non modò dominationem, sed divinitatem affectarunt. Tanta est naturæ humanae superbia, semper ad altiora anhelantis. Præest utique, qui dispensator à Deo est designatus, sed præest, ut profit, sicut villæ villicus, & parvo Domino Pædagogus, non ut dominetur. Debet unusquisque in suo munere cavere excessum. Felicia sæcula, si qui præsunt, intrâ suæ limites jurisdictionis, se se continere enixè stuperent. Sicut æquum est unumquemque jus suum servare, ità iniquum est, ultrâ debitum, jus suum extendere. Affectatæ, ferè ab omnibus in hoc sæculo, dominationis inditium sunt tituli, qui ut plurimum supra conditionem propriam, ab unoquoque exiguntur. Vix jam congruum titulum est invenire, quo expleri possit mortalium ambitio; ex quibus affectatis titulis, fit ut dispensatio transeat in dominationem: non sic alta querere nos docuit Christus, cui ratione æternæ filiationis, divinitatis titulus jure debetur: Confuerunt Apostoli Christum vocare Dominum, & Magistrum, sed magis in Magistri, quam Domini titulo sibi semper Christus complacuit, quia *Dominus* nomen est majestatis, *Magister* nomen est pietatis. Si enim pium est præbere escam corpori esurienti, multo magis pium est escam animæ impartiri, quod est proprium Magistrorum munus, qui indisciplinas mentes instituunt, & pabulum eruditio-  
nis dispensant. Plus ergo in Magistri, quam Domini titulo, sibi complacuit Christus, ut nos doceret plus pietatis, quam majestatis titulos querere, & ut quicumque, in hoc mundo, dispensatores à Deo sunt constituti, Dominium

nun-

nunquam affectare Christi exemplo ediscerent. Non enim potest non dominari in justitia, ubi plus juris sibi quis vindicat, quam ex imposito ministerio sibi possit competere.

## S E C T I O N E O C T A V A

*Adde tamen, & hoc, nam nullum tibi venenum, nullum gladium plus tibi formido, quam libidinem dominandi. Certè ut multum tibi tribuas, si multum deceptus non es, nil te existimes plus accepisse à magnis Apostolis.*

**S**i quis consideratione seria velit perpendere illorum laborem, & dolorem, qui libidine dominandi vexantur, utique nullum gladium, plus formidabilem inveniet stimulis ambitionis; quibus sarcinis non opprimuntur, qui dominationem ambient, qui alta querunt, qui ambitioni famulantur; erit profecto invenire illos, non modò in labore hominum, sed penè dixerim in labore bestiarum; In his siquidem contendunt, simul contrario labore ambitio, & elatio cordis, altera nidum, altera foveam parat; volare altera jubet, repere monet altera, cum neutrum sit hominis, sed bestiarum; semper invido oculo, animum indesinenter cruciante, respicit aliorum dominium, dominandi cupidus, & quod alteri est bonum, suum convertit in malum. Si multum decepti non sunt, quotquot Ecclesiasticas Cathedras descendunt, sciant nihil se plus accepisse à magnis Apostolis, quam in omnibus se exhibere ministros, non Dominos; Christi exemplo, in Ecclesia Dei, *Non est inglorium ministrare, potius quam dominari.*

Hoc acutissimo gladio, nempè libidine dominandi, heu? quantos miserè videamus quotidie jugulari etiam in claustris, qui utinam gladium hunc, solum in suum, sed quod deterius est, non alienum convertant in jugulum; quapropter ubi agitur de promotione ad Superioratus, ut licentius dominari valeant, non quos digniores, regendis cum ædi-

ædificatione, & prudentia asceteriis, promovent, sed quos propensiores ad suum promovendum dominium compere-rint; recensere autem quis valeat, ex ineptâ Superiorum electione, quot damnis, sive spiritualibus, sive temporalibus, regulares familiæ succumbant. Dissipantur patentibus oculis Monasteriorum substantiæ, ab his qui præcisè ad dispensandum, non ad dominandum promoveri debuerant: nihilominus, qui ingruenti damno tenerentur occurrere, altum servant silentium, ne amittant dominium; nullum utique venenum, nullum gladium plus formidandum in claustris, quam libidinem dominandi; quam vexati, utique non profectum querunt subditorum, sed quæstum proprium. Transgrediuntur constitutiones à subditis, & qui continere deberent transgressores, oculos habent, & non vident, os habent, & non loquuntur, sola spe dominandi, observantiæ ordinem pervertente. O quam pestiferum gladium, semper fuit, in jugulum observantiæ regularis, dominandi libido: quam prædominante, videmus aliquandò superiores claustrales, non modo panem non suum comedere, sed etiam projicere in immoderatis conviviis, frugalitatem regularem, à Sacris Canonibus præscriptam, excedenti-bus; in voluptuosis itineribus, in sumptuosis expensis, cum modestia, & paupertate regulari non consonis. Magna res, & utique indigens consideratione non minimè. Pupillorum tutores, si vel modicum excedant in expensis, omnino non necessariis, ad illata pupillis damna, obligantur bonorum resarcitu suorum, quia commissam dispensationem, in dominationem converterunt: & impunes evadere posse arbitrabimur Superiores regulares, qui dissipant bona Domini, cum Dominus vineæ rationem villicationis re-quiret à villico, qui in administratione regularis patrimoni, non veretur excessum? Si quos superiores hujusmodi sensus est invenire, fortè se excusare conantur dicentes, non monasterii proventus, sed bona aliundè, suà industriæ, vel studio acquisita succubuisse voluptuosis expensis. Sed quis non videat, hoc esse se excusare in peccatis. Quid po-

poteſt pro ſuo arbitrio diſponendum acquirere. Monachus, qui in profeffione, nec voluntatem habendi ſibi reliquit: qui quidquid acquirit, non ſibi, ſed monaſterio acquire poſſe, & debere non ignorat. Idem eſt ac ſibi acquirere, pro libito de acquisiſtis bonis diſponere. Profecto nihil intulimus in hunc mundum, nihil ab hoc mundo morientes auferre poterimus; diuersa diſpensatio, in hiſ qui mundi ſubſtantias expendunt, totam diſſimilitudinem facit, inter Sæcularem, & Monachum; quod ille, pro libito, poſteſt ſubſtantias domus ſuæ, in uſuſ licitos diſpensare, hic nonniſi adhibitis in conſilio fratribus, debitifque fulcitus permifſis, poſteſt prouentus, undequaque acquisitos conſumere. Si regularis etiam poſſet pro libito diſponere, nihil prorūſus à ſeculari, in diſpensatione diſferret: quoniam, ut diſtum eſt, nihil intulimus in hunc mundum; proindè me-minerint Superiores Eccleſiaſtici, qui diſpensandis patrimoniis præſunt, aurei moniti D. Bernardi. *Diſpensatio tra-dita eſt, non data poſſeſſio.*

## S E C T I O N O N A

*Recordare nunc vocis illius. Sapientibus, & insipientibus  
debitor ſum, & ſi non indebitam tibi ipsam cenſes. Hoc  
quoque ſimul memento, debitoris moleſtum nomen, ſervienti  
potius, quam dominanti congruere. Servus in Evangelio  
audit. Quantum debes Domino meo.*

**U**rgere prosequitur S. Doctor popoſitum argumentum, quo in Eugenio docere fatagit, omnes Prælatos procul vivere debere à libidine dominandi; oſtendens Apoſtoli verbis, qui ſapientibus, & insipientibus ſe debitorem profitetur: *Moleſtum hoc nomen debitoris, ſervienti potius, quam dominanti congruere.* Quod ſi debitores ſunt Præſules Eccleſiaſtici, eniſo ſtudio fatagere tenentur, quomodo ſuum ſolvant debitum, & Domino ſatisfaciant: quale autem, & quantum ſit debitum, ſequentiibus exprimitur ſenſibus.

To. II.

C

SE-

## SECTIO DECIMA

*Ergo si te agnoscis sapientibus, & insipientibus non dominatorem, sed debitorem; curandum summoperè tibi, & tota vigilantiā considerandum, quomodo, & qui non sapiunt sapiant, & qui sapiunt non desipiant, & qui desipuerere resipiscant.*

**D**Esipientes ideò non sapiunt, sapientes desipiant, prævaricatores non resipiscunt, quia debita sollicitudine, ad eorum custodiam Pastores non vigilant: omnibus suæ curæ commissis debitores sunt Pastores dominici, ut eos deducant in viam mandatorum Dei, ut qui non sapiunt sapiant, quæ scire tenentur. Hujus insipientiæ fomes est Parochorum incuria, supra quos debita sollicitudine invigilare sèpè negligunt, sicuti par esset, Episcopi, ut animadvertant, an Parochi suo muneri satisfaciant: *S. Leo Papa Serm. 8. de jejun. Sacerdotalis officii est, erga omnes Ecclesiæ filios, curam habere communem, in id quod, & ruidibus profut, & doctis.*

## SECTIO UNDECIMA

*At nullum genus insipientiæ infidelitate, ut sic loquar, insipientius est. Ergò & infidelibus debitor es, Græcis, & Gentibus &c.*

**I**n ter insipientes, quos summo studio eniti debet Summus Pontifex, ut rectè sapiant, computantur hæretici, qui subversi sunt, & subversores. Genus utique pessimum insipientium, canes ad scissionem, vulpes ad fraudem, demolientes suis versutiis vineam evangelicam. Plus enim officit in vineâ Domini, vel parvus Hæreticorum numerus, quam Gentilium exercitus. Hæretici siquidem, semper tendunt insidias, ut Catholicos pervertere valeant, & plus timendum ab insidiatore occulto, quam ab hoste manifesto.

sto. Monet itaque in præsenti Sanctus Bernardus Eugenium, ut viriliter se opponat: Hæc enim præcipuè cura Pontifici est demandata: *S. Ber. ep. 184. ad Innoc.* Verum tu o Successor Petri, amice sponsi, providebis quomodo liberes sponsam à labiis iniquis, & à lingua dolosa: & ne quid minus fecisse inveniamini à magnis Episcopis, antecesoribus vestris, capite nobis Pater amantissime vulpes, quæ demoliuntur vineam Domini, donec parvulae sunt, ne si crescant, & multiplicentur, quidquid talium, per vos non fuerit exterminatum, à posteris desperetur. Quamquam non jam parvulae sunt, sed certè grandiusculæ, & multæ sunt, nec nisi in manu forti, vel à vobis exterminabuntur. Hæc S. Bernardus ad Eugenium, contra invalescentes tunc temporis Arnaldistas. Similia nunc temporis, si adesset, loqueretur, contra novos insolescentes, nostro ævo, hæreticos, qui ubique intendunt arcum, parant sagittas suas in pharetrâ, ut sagittent in obscuro rectos corde; in viëtu, & habitu habentes formam pietatis, sed virtutem ejus abnegantes; eò decipiunt plures, quò transfigurant se in Angelos lucis. Quamquam jam non in obscuro moderni hæretici parant sagittas, quandoquidem eorum virulenta folia, non amplius latent in scriniis, sed leguntur in triviis. Volant ubique hæreticales libri, & qui oderant lucem, quoniam mali sunt, impegerunt in lucem, putantes lucem tenebras. Urbibus, & Castellis ingeruntur ab Hæreticis pro luce tenebræ, pro melle, vel potius in melle venenum. Jam transierunt falsa eorum dogmata de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. Novum cuditur ab eis populis, & gentibus evangelium, nova proponitur fides, fundamentum aliud ponitur, præter id, quod à majoribus nostris positum est. De virtutibus, & vitiis, non moraliter, de Sacramentis Ecclesiæ, non fideliter, non simpliciter disputatur. In fugillationem Doctorum Ecclesiæ, adinventiones suas, Catholicorum Patrum doctrinæ, & fidei præferunt.

Quia verò, plus nocet Ecclesiæ improbus Catholicus,

quam apertus hæreticus, supra perversos Catholicorum mores invigilare tenentur Episcopi, ut Catholici, qui per mores perversos despiciunt resipiscant; quapropter inter vulpes demolientes vineam Evangelicam, non modò hæretici, sed perversi Catholici sunt computandi, qui ad vitia declinant, suoque exemplo, alios trahunt ad sequelam vitiorum. Super hoc vulpecularum genus, sollicitè intendere debent Prælati, ut ab invalescentibus in grege suo vitiis, quæ specie sunt palliata virtutum, oves suas custodiant indemnes. Vitia enim, quæ sub specie virtutis apparent, meritò vulpeculis comparantur, quas omni vigilantiâ, & cautela observare opportet, ut sic capiantur, idest comprehendantur in astutiâ suâ. Ergo cum à sollicitudine Evangelicorum Pastorum proditur dolus, fraus aperitur, convincitur falsitas, tunc rectissimè dicitur capta vulpes, quæ demolitur vineam. Omne vitiorum genus, quod sub virtutis tegmine prodit, id proprium habet, ut agnatum jam minimè noceat, itâ ut agnoscî sit idem, ac expugnari. Sufficit ergo si capiantur hujusmodi vulpeculae, sive vitia, sub virtutis velamine debacchantia, hoc est si prodas, & deducas ad medium, quippè quibus apparere, perire est. Quoad cætera vitia, quæ manifestè nocent, apertè sœviunt, & se prodere non verentur, opus est ut Prælatorum sollicitudo ea exterminare enitatur. Quia verò juxtâ allegoriam, vineæ assimilatur Ecclesia, vulpibus verò comparantur, non modo mali Catholici, sed etiam Hæretici, ad ipsos iterum revertitur sermo, supra quorum versutiam, adeò sollicitum Eugenium S. Bernardus jure desiderat; sunt enim Hæretici, oves habitu, astu vulpes, actu lupi; operantur ut plurimum mysterium iniquitatis, eò licentiùs quò latentiùs, non apparere, sed serpere student, liquant culicem, & camelum deglutiunt. Hujus furfuris perspicuum est modernos esse hæreticos. Patet istos pænè usque ad superstitionem observare minora, impossibilem interim prædicantes observantiam, quoad majora præcepta. Quo fervore, quâ efficaciâ non excitaret contra hos Hæreti-

cos Prælatorum zelum, si iterum adesset Bernardus, certè exclamaret. Juvate me socii ut capiantur vulpes, quas ecce jam diu frustra insequimur. Docete, & suggerite qualiter fraus deprehendatur: & quidem recens vastatio, quam pluribus in provinciis patitur vinea Domini, indicat vulpem adesse, sed nescio, qua arte fingendi, ita sua confundit vestigia callidissimum animal, ut quæ vel intret, vel exeat, haud facile queat ab homine deprehendi. Cumque pateat opus, non appareat author; ita per ea, quæ in facie sunt, cuncta dissimulat. Denique si invalescentium Hæreticorum fidem interroges, nihil fidelius, si conversationem externam, nihil irreprehensibilius. Videas hujusmodi hypocritas frequentare Ecclesiam, honorare Presbyteros, confessionem facere, Sacramentis communicare, quid fidelius, ubi jam vulpes? Nihilominus vinearum demolitio probat vulpes adesse, quæ enim circumferuntur sententiæ, & in juventutis animo inseruntur, eamque retrahunt à Sacramentorum frequentia, qua neglecta, juvenus ad mala proclivis, in peccatis, neglecto salutari remedio, tabescit, quid aliud indicant, quam adesse vulpes; recens enim vastatio, vulpes adesse indicat, demolientes vineam. Vulpes sunt, qui boni videri, mali non videri, sed esse volunt; mali videri timent, ne parum sint mali; etenim minus semper malitia palam cognita nocuit, nec unquam bonus, nisi boni simulatione deceptus est. Ita ergo moderni Hæretici in malum bonorum, boni apparere student, mali apparere nolunt, ut plus liceat malignari: Neque enim est apud illos virtutes colere, sed vitia colorare, quoddam quasi virtutum minio, in hypocrisi loquuntur mendacium. Convincantur itaque, & emendentur à pastorali sollicitudine, qui ejusmodi sunt, & nostro ævo, tanto vineæ Evangelicæ damno, debaccantur Hæretici, corrigiendi ne pereant, ne perimant coercendi.

## SECTIO DUODECIMA:

*Esto de Judæis excusat te tempus, habent terminum suum,  
qui præteriri non poterit. Plenitudinem  
gentium præire oportet.*

Cum fiet unum Ovile, & unus Pastor, tunc in horum Ecclesiæ etiam congregabuntur Judæi, qui nunc in suâ perfidiâ tabescunt, quia plenitudinem gentium integrum Judæorum conversionem præire oportet. Cum introierit gentium multitudo, tunc omnis Israel salvus erit, id est, etiam Judæi Christi legem suscipient. Quia verò gratia Dei illa est, quæ volentem prævenit ut velit, volentem subsequitur, ne frustrâ velit; nullusque infidelis credere possit sive prædicante, ideo non minus suprà Gentilium, quam Judæorum conversionem, debet summus Pontifex esse sollicitus. Videmus enim quod per singulos dies triumphat Ecclesia de Judæis, quorum aliquos passim discernimus, vel convinci, vel converti. Fructus autem sunt hujusmodi conversiones, universalis orationis, quæ fit ab Ecclesia, & offertur pro perfidis Judæis, à solis ortu usque ad occasum, ut Deus, & Dominus auferat velamen de cordibus eorum, ut ad lumen veritatis de suis tenebris eruantur: nisi enim Judæos, Ecclesia, posse fidem Catholicaam amplecti, speraret; superfluum videretur, & vanum orare pro ipsis. Quamvis ergo Judæorum plena conversio habeat terminum suum, qui præteriri non poterit, & plenitudinem gentium præire oporteat. Nihilominus etiam Judæis, sive intermissione dispensari debet verbum Evangelicum, quod omni creaturæ prædicandum esse Christus præcepit. Media igitur prædicatione Evangelica, trahendi sunt ad ovile Christi, sive Judæi, sive Gentiles, sive Hæretici, sive Schismatici.

## S E C T I O D E C I M A T E R T I A

*Sed de ipsis gentibus quid respondes, imò quid tua consideratio respondet tibi, percunctanti sic &c.*

**E**xigit munus Pontificium, ut incredulis prædicetur inde finenter Evangelium. Hoc est, quod in præsenti iniit S. Bernardus, qui fidei dilatandæ ardore æstuans, omnes videre cupiebat conversos ad veram fidem, non modo Hæreticos, sed Schismaticos, Judæos demum, & Gentiles; quià verò nemini credere casu contingit, cum scriptum sit, *quomodo credent sine prædicante*, ideo ad omnes gentes, quantum possibile est, & patiuntur contingentia temporum, debet Romanus Pontifex ministros dirigere, Evangelicos; quorum voci dabit Deus, prout sibi libuerit, vocem virtutis: ità plane, conversio infidelium opus est divinæ virtutis, prævia voce evangelica, cui Deus vocem virtutis, pro suo beneplacito accomodat. Esto nullam, aut modicam reperiri aliquando conversionem inter gentes, ad quas diriguntur Prædicatores Evangelici. Certum tamen est, sinè prævia prædicatione, infideles non posse converti ad Deum. Debet itaque Pontifex incessanter perficere, quod sui est muneris, nempe quantum ipsi possibile est, Evangelizantes dirigere ad infideles, Dei postmodum providentiæ relinquendo, ut ipse evangelizantium voci det illam, quæ sibi libuerit, vocem virtutis, ex quâ vel uberem, vel modicum fructum colligat prædicatio evangelica. Procedunt ab urbe Roma ad prædicandum gentibus ministri Evangelici, sed sœpè vacua revertuntur manu, modicum fructum suæ prædicationis colligentes; nihilominus non debet homo desinere facere quod debet, quia Deus facit quod vult. Christus offerri debet omnibus, qui Christum non habent. Quandoque perveniat gentium plenitudo necesse est. Uberem censet Ecclesia collegisse, ex sparso semine evangelico fructum, si ex integro infidelium regno, vel unam animam possit convertere ad Deum. Pro-

con-

conversione unius Eunuchi, destinarunt Apostoli Philippum. Petrus ipse properavit ad Cornelium. Quanto magis pro conversione Provinciarum, debent quotidie insistere operarii evangelici: Hic primus fuit eorum omnium scopus, qui ad Pontificatum fuerunt assumpti, tempore primitivæ Ecclesiæ, & subsequentibus sæculis; prædecessorum suorum exemplo insistens B. Gregorius Papa, Augustinum, ex Ordine S. Benedicti, destinavit formam fidei tradere Anglis. Cui Apostolico muneri semper institerunt summi Pontifices, qui non sine magnis impendiis, ab urbe Roma, non desistunt quotidie mittere operarios in vineam Domini, per quos uberes conversionum fructus, etiam in extremis orbis oris, colligere gaudet Ecclesia.

### SECTIO DECIMAQUARTA

*Ego addo, & de pertinacia Græcorum, qui nobiscum sunt,  
& nobiscum non sunt juncti fide, pace divisi, quamquam  
& in fide ipsa claudicaverint à semitis rectis.*

**A**D Græcorum pertinaciam convellendam per Evangelicos ministros, quoniam tunc temporis Græcorum Schisma valde invalescebat, excitat etiam in hoc capite Eugenium S. Bernardus, decoris domus Dei zelator eximius. Græcos autem cum Ecclesia Romana, pace divisos esse afferit. Non enim est invenire pacem, ubi Schisma invalebit: Pax unitatem querit; Schisma scissionem. Cum vero Schisma semper declinet ad hæresim, propterea S. Bernardus, de Græcis sermonem faciens, eosdem in fide claudicantes esse afferit. Ad Græcorum Schisma convellendum Romana Ecclesia, etiam in Conciliis congregata, omnem conatum adhibuit, sed Græcorum pertinacia nunquam optatam curationem admisit. Nihilominus, etiam in fide claudicantium, debet Romanus Pontifex curationi insistere. Propterea ut ad conversionem Græcorum, etiam destinaret Eugenius operarios suos, S. Abbas enixè peroptabat.

SE-

## S E C T I O D E C I M A Q U I N T A

*Et item de hæresi, quæ clam pœnè ubique serpit, apud aliquos sœvit palam, nam parvulos Ecclesiae passim, & publice deglutire festinat: Quæris &c.*

**C**um labor in confutandis hæreticis, etiamsi aliquando frustraneus appareat, nunquam tamen evadat inefficax, ideo ad hæreticorum conversionem, Bernardus Eugenium indesinenter hortatur; ubi enim Hæreticus, ob suam perfidiam, surgere recusat de fæce, Ecclesia tamen confirmatur in fide; nec propterea nihil se egisse putet, qui Hæreticum, & si non vincit, tamen convincit Hæreticum convincit, qui opitulante Dei gratia, sui efficaciâ sermonis, ad veritatis agnitionem perducit: vincit, qui ad veritatis professionem reducit. Si solum convincere contingat, tunc Ecclesia de veritatis Evangelicæ exaltatione triumphat; si vero detur posse vincere, tunc de reductione errantis ovis ad Ecclesiasticum ovile congaudet; Propterea nunquam intermittenda est prædicatio Evangelica, ex quâ semper Hæreticos, aut convinci, aut vinci posse speramus.

An autem solis argumentis, vel etiam armis, agendum sit cum hæreticis. Sensus quondam fuit Sanctorum Patrum (inter quos Augustinus) Hæreticos capiendos esse argumentis, scilicet, prædicatione Evangelica, non vero armis; cui sententiæ adhæsit aliquando S. Bernardus, quod ex Sermone 64. in Cant. colligitur. At vero alibi mutata sententiâ, sicut etiam S. Augustinus, non modo argumentis, sed etiam armis, ubi illa non proficiunt, & hæretici insurgunt contra Ecclesiam procaces, pugnandum esse, manifestè declarat. Quâ de re videri potest ejus Epist. 48. ad Vincentium Rogatianum, ubi multis ostendit, terrore, & legum rigore, salubriter Hæreticos constringi ad legeim Catholicam; necnon arma Principum rectè implorari adversus Hæreticos, modo id fiat solo animo eosdem corrigendi, ad quod probandum, utitur Sanctus Augustinus.

nus similitudine phrenetici in præceps currentis , cui manus , & vincula injicere , beneficium censetur , ne vel sibi metipsi , se perimendo noceat , aut aliis , quos obviam factos sæpe insultat , nocumentum afferat . Augustini itaque prima erat sententia , neminem ad legis Evangelicæ professionem esse cogendum , sed verbo esse agendum , disputatione pugnandum , ratione vincendum : ab hac autem opinione cessit , cum maturiori consideratione facta , expertus est suam Civitatem Hipponeensem , quæ pænè tota erat ex parte Donatistarum , ad unitatem Catholicam , timore legum imperialium , non minus quam prædicatione Evangelica , fuisse redactam . Et certè , si solum docere expediret hæreticos , non verò terrere , vetustate confuetudinis obdurati , ad capessendam viam salutis pigrius moverentur . Huic sententiæ adhærens S. Bernardus Sermonne 66. in Cantica , sic loquitur : *Fides suadenda est , non imponenda . Quamquam proculdubio , melius gladio coercentur , illius videlicet , qui non sine causa gladium portat , quam in suum errorem multos trajicere permittantur . Hæretici itaque , de quorum facilis conversione spes crescit , tractentur mitius , & doceantur , potiusquam cogantur ; at qui venenum perfidiae in plures diffundere moluntur , legum severitate præmantur . Unicus hic semper fuit omnium Hæreticorum scopus , ut parvulos Ecclesiæ passim , & publicè deglutiire festinent : Quapropter summa opus est super eos sollicitudine , illos maximè , qui sub ovina pelle , in ovium Christi perniciem grassantur . Incessanter opus est , à Pontificia sollicitudine hujusmodi hæreticos persequi , donec si fieri potest comprehendantur , & nullatenus à persecutione desistere , donec fugiant de finibus Catholicorum , quia tutum non est quiescere , ubi sibilant serpentes , sedentes in insidiis occultis , ut interficiant innocentes ; intendunt arcum , parant sagittas suas in pharetra , ut sagittent in obscuro rectos corde : Sibilabant serpentes , id est hæretici , temporibus S. Bernardi , in terra Austri , sicut ipsemet S. Doctor innuit in præsenti , sic scribens : *Vestri , qui**

qui terram Austri tam sàpè visitant, ecce hi sciunt, & possunt dicere tibi. Quam Christiani Orbis plagam, sub nomine terræ Austri, hic intellexerit S. Bernardus, in quâ potissimum hæresim debacchari, & prædicatores Evangelicos, nullum ex eâ reportantes fructum, reversos conqueritur, non facilè potest intelligi. Nihilominus ex contextu, videtur S. Bernardus ibi Sermonem facere de Palestina, quæ tunc temporis, licet tota ferè esset Catholica, nihilominus à multis erat infestata hæreticis. Sub nomine terræ Austri, etiam ex Sacra Scriptura colligitur, posse Palæstinam intelligi, legimus enim: *Deus ab Austro veniet*. Frequentes erant tunc temporis ad Palæstinam peregrinaciones, ideoque scribit S. Bernardus; *Vestri qui terram Austri tam sàpè visitant, eunt, & redeunt per medium illorum, sed quid boni adhuc cum illis egorint, necdum audiavimus*. Plures enim dirigebantur à S. Sede Apostolica (nullis parcente expensis, ut per operarios Evangelicos hæretici in Palæstina, tunc maximè degentes, converterentur) ad Orientalem plagam, sed absque fructu revertabantur, quia non inhiabant, ut par erat, operarii animalium lucro: Et plures eorum, forte nihil plus intendebant, sub specioso colore evangelizandi verbum Dei, quâm aurum accipere, quod à S. Sede copiosè erogabatur illis, qui Palæstinam, Evangelium propagaturi, proficisciabantur, *quorum multis præ auro Hispaniæ, salus populi vilescebat*. Inter omnia Orbis regna, tunc temporis cognita (non dum enim vastæ, & opulentissimæ Americæ Regiones Europæis innotuerant) Hispania auro abundabat, unde quasi in adagium erat, *Hispaniæ aurum*. Imò ferè ex sola Hispania, per cæteras Europæ Provincias, aurum diffundebatur, cui semper inhiavit insatiabilis humana cupiditas, ex qua tot damna in universo Orbe originantur. Inter quæ, hoc etiam damnum patiebatur Ecclesia, tempore D. Bernardi (cui utinam nostris temporibus non succumberet) ut nempè præ auro Hispaniæ, salute populorum vilescente, modicum colligeret Ecclesia fructum in Sacris Missionibus,

cum tamen nihil magis, quam hæreticorum conversionem exoptaret. Hujus damni, quod Ecclesia patitur, ut plurimum, fomes est cupiditas, quæ facit, ut plures evangelizantes, non quæ Dei, sed quæ sua sunt quærant. Hæc est insipientia, quæ ipsam quoque jam propemodum stultam facit sapientiam fidei, contra quam insipientiam, prosequitur Sanctus Bernardus acuere calatum suum sequentibus verbis.

### SECTIO DECIMASEXTA

*Sed est insipientia, quæ ipsam quoque jam propemodum stultam facit sapientiam fidei &c.*

**V**Eh' ubi Ecclesiastici quæ sua sunt quærunt, & eni-  
xo studio, non satagunt cupiditatis, omnium malo-  
rum radicis, spinas evellere. Quis perstringere valeat, quot  
malorum in Ecclesia Dei ferax sit cupiditas. Ab omni ter-  
renarum cupiditatum genere, semper expedit Virum Ec-  
clesiasticum vivere alienum, plus enim concupiscentia  
mundi, quam substantia nocet; & hoc fugiendarum di-  
vitiarum, præcipuum esse debet argumentum, quod vix,  
aut raro sine angustiis, vel absque offensa Dei, valeant pos-  
sideri; Scripsit Apostolus: *ad Thim. 6. 10. Radix omnium  
malorum est cupiditas;* non potest alta videre oculus men-  
tis, si in terrena cupiditatis pulvere caligat. Quam dignè,  
& laudabiliter occupantur Pontifices, adversus tam pesti-  
lens insipientiæ genus; hinc plures Ecclesiastici facti sunt  
omnium peripzema usque adhuc, non propter Christum,  
sed propter mundum; quandoquidem tota die laborant  
augendis proventibus, multiplicandis beneficiis, ditandis  
que nepotibus, ipsa reluctantे experientia, quæ semper  
docuit, quod quidquid cumulavit Ecclesiasticorum avari-  
tia, nepotum prodigalitas dissipavit. Adversus tam pesti-  
lens insipientiæ genus, nempè cupiditatem Ecclesiasticorum,  
faeri Canones, jam à pluribus seculis, suam exhibuere pro-  
vi-

videntiam. Optima providentia, si ut servaretur, & sancte custodiretur, exhibeant etiam, ad quos spectat, sollicitudinem suam. Idem est ac leges non habere, eārundem observantiam non custodire.

Inter mala, quæ ex Ecclesiasticorum cupiditate originantur, non modicum est, cumulata in uno beneficiorum pluralitas. *S. Bern. Epist. 2. Nec cuiquam vel adulto plures dignitates in pluribus Ecclesiis habere licet, nisi dispensatoriè, quidem ob magnam causam, vel Ecclesiæ necessitatem, vel personæ utilitatem, in quæ S. Bernardi verba, Ruremündensis Episcopus sic scribit: Ep. Rurem. p. 2. Neminem ergo Bernardus, in duabus vult conscribi Ecclesiis; necessitati tamen locum facit, & magnæ alicui, ac evidenti utilitati.* Nimis proni sunt mortales ad capiendam ex omni re utilitatem; Qualem hodiè Clerum habemus, si singulis sufficientia pro suo statu, conditione, & dignitate, assignarentur beneficia; nec ullo iam affectu affixi rebus temporalibus, ad immobilem, & sempiternam contenderent hæreditatem. Nihil profectò intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possumus. Ad quid ergo, adeò anxiè inhiant homines divitiis: nonne qui volunt divites fieri, incident in laqueum dia-boli! Radix enim malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, inferuerunt se doloribus multis. Sed quò de-venit pristinus Cleri decor, quò Clerum avaritia abduxit; non desunt Ecclesiastici, qui ab omni moderatione alieni, semper pinguiora optantes beneficia, quamdiu vivunt, congregant opes, & timere insuper videntur, ne etiam mortui esuriant. Certè pluralitatem beneficiorum Canones non patiuntur; ergo, qui plura beneficia cumulant, Canonibus vim inferunt, ut liceat, quod non licet. Multa fingit pinguium ambitor pensionum, nec ingenium deest ambitioni, & cupiditati, avaritiae promovendæ; multa commisicitur, & fingit Clericus ambitiosus, & cupidus, ut depravato obsequatur affectui, sed mentitur iniquitas sibi, & numquam efficiet, ut liceat, quod illicitum est. Erit qui tan-

tandem justitias judicabit. Tacito verbere interim semper conscientia quatitur eorum, qui conjungunt domum ad dominum, & agrum agro copulant. Unde, aut quandò maius detrimentum passa est Ecclesia, vel ubi major divino cultui, & saluti proximorum irrogatur injuria, quam dum in unam eamdemque personam cumulantur beneficia, & quæ singula, singulas requirebant personas, Dei, & Ecclesiæ servitio mancipatas, hæc omnia in unum congeruntur Ecclesiasticum, qui vix unius beneficii debito, seu officio par est. Semper detimenti disciplinæ Ecclesiasticæ administra fuit beneficiorum exuberantia. Solemne multis nunc est, pluralitatem in temporum difficultates conjicere, nimirum aliter non potest modo honestè, & pro ratione status vivi, bellorum clades, annorum sterilitas, rerum in dies pretia majora, unius beneficii proventum non sustinent, ut quotidianis quis possit succumbere necessariis expensis, ergo quærenda ex pluribus beneficiis subsidia. O utilis ratio! ò vani prætextus ad fovendam cupiditatem? quasi inter necessarias expensas Ecclesiasticon, luxus, vanitas, & oppiparus mensæ apparatus deberent computari:  
*I. ad Tim. 8. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, contenti sumus,* ait Apostolus. Hecce quæ sint necessaria expensa, alimenta, & indumenta, quæ dignitati, quæ quis in Ecclesia condecoratur, sint congrua. Tollantur de medio superflua, & jam sufficiet ad quotidianas expensas unius beneficii proventus. Quod si mala tempora causamur, bella scilicet, clades, sterilitates, & cætera hujusmodi, nonne horum malorum omnium, nos ipsi sumus in causa; tales nempe mores, talia merentur tempora. Ut Deum nos colimus, sic ille nos visitat. Verum oh' mira, & justa Dei consilia. Videmus penè quotidiè Ecclesiasticos, pluribus ditatos beneficiis, à pluralitate nusquam obtinere, quod intendunt; sæpè enim miserius, & Fordidius vivunt, qui pluribus onerati sunt beneficiis, quam qui uno sunt contenti. Imò plurales, minus æris proprii, plus alieni, sæpè relinquere hæredibus, sæpiissime probat experien-

rientia, quæ etiam docet divitias à pluralitate beneficiorum collectas, tandem velut spumam evanescere, ita ut beneficiati, vel divitiis male acquisitis non fruantur, vel illis certè diutius non gaudeat hæres; nec alium divitiis, à preventu beneficiorum cumulatis, in favorem consanguineorum, parat exitum Deus, qui non potest, non indignè ferre, quòd patrimonium Christi, res Ecclesiæ, subsidia pauperum, in carnales amicos, & propinquos ab Ecclesiasticis Testatoribus conferantur. Quid magis præposterum? Ecclesiasticos itaque beneficiis cumulatos, luculenter, & graviter monet Tridentina Synodus: ne ex redditibus Ecclesiæ, consanguineos, familiaresve suos augere studeant, cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, iis ut potè pauperibus distribuant, quantum necessitas exigit, non quantum affectio suggerit; imò, quàm maximè potest, eos sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque affectionem, pœnitus deponant. De irreligioso cujusdam Episcopi testamento, qui pauperibus, & Ecclesiis prætermis, quibus nihil penè adscribebat, & totum quod acquisierat, in favorem nepotis sui adolescentuli sæcularis disposuerat, acuto calamo scribit S. Bernardus ep. 276. Ex quà utilia monita, protestamentis rectè, & piè condendis erit ervere; nempè ut validè, seu petità licentià, clare, & perspicuè, denique mature, & cum sensus vigent, conficiantur. Ne per acrimoniam morbi, stupidi, & turbati, testamentum confidere cogantur, non prout volent, sed pro ut carnales amici importunè extorquebunt.

### S E C T I O D E C I M A S E P T I M A

O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torquens, omnibus places: nil acerbius cruciat, nil molestius inquietat, nil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis ejus O.c.

Hono-

**H**Onores desiderantibus, honores quidem blandiuntur, sed onera pensantibus tedium sunt, atque formidini; quapropter verissimum est, quod in præsenti scribit Sanctus Bernardus: *Ambitionem, scilicet, esse ambientium cruentem, omnes torquere, omnibus placere; nil acerbius ambitione cruciare, nil molestius ambitione inquiri.* Semper, ut plurimum, fuit ambitio insolentia fomes, elationis occasio. Nihilominus pauci admodum sunt, qui capiant hoc verbum: *Nil apud miseros mortales celebrius negotiis ambitionis.* Et quod magis deplorabile est, nil celebrius etiam apud quosdam Ecclesiasticos: utique tanta fiducia, & alacritate non current Ecclesiastici ad honores, si esse sentirent, & onera; gravari profecto metuerent, nec cum tanto labore, & periculo, quarumlibet affectarent insulas dignitatum. Nunc vero, quia sola attenditur gloria, & non poena, Sacerdotali caractere solummodo esse insignitum, erubescitur in Ecclesia; seque viles aestimant, qui quocumque sublimiori in loco, non fuerint collocati: *Limina Apostolorum plus ambitio, quam devotio terit.* Curritur in Clero passim ab omni ætate, & ordine, à doctis pariter, & indoctis ad Ecclesiasticas curas, tamquam sine curis jam quisque victurus sit, cum ad curas pervenerit; nec deterrentur periculis, qui cupiditate coecati, pericula non vident. O *ambitio ambientium crux, nil apud miseros mortales celebrius negotiis ejus.* Ascendant quantum possunt ambitiosi, acquirant quantum valent cupidi, non ideo eorum corda quiescunt, duplii semper aestuantia desiderio, ut scilicet magis dilatentur in plura, & ad celsiora sublimentur. Videmus proinde Capellanos in Ecclesiis, Canonicatus dignitatem ambire, & utinam ambitio staret sine supplantatione fratris. Factos Canonicos, præposituras desiderare, & semper magis, ac magis studere, quomodo dilatari valeant, & ad celsiora ascendere, & cum ascenderint, neque satiari; sed quid altius somniare. Laboriosis proinde itineribus, sumptuosisque muneribus, statuunt facere sibi amicos de mammona iniquitatis, quorum protectione

tectione , & auxilio consequi valeant celsiores Cathedras , ex quo fit , ut *limina Apostolorum , plus ambitio , quam devotione terat* ; Sed unde hæc mala in Ecclesia , nisi quia sola , à pluribus Ecclesiasticis , attenditur gloria , non poena . Sancta , & fæcunda sæpè abortiri fecit otia Summorum Pontificum , inquietum , & inquietans malum ambitionis , & cupiditatis ; quo urgente , vidimus aliquando ineptos , implendis dignitatibus Ecclesiasticis , fuisse designatos . Quam Ecclesiæ calamitatem deplorat S. Bernardus ; quapropter acuto calamo contra hoc malum invehitur , non modò concisè in his de Consideratione libris , sed & in epistola 271. prolixè satis , sicut & in tractatu de moribus , & officio Episcoporum cap. 7.

Non erit abs re , in præsenti materia , illos excutere , qui à cupiditate , & ambitione sopiti , in suo sensu obdutati , cum difficulter expergefiant , omnem adhibent conatum , ad obtinenda suis filiis beneficia Ecclesiastica , quibus regendis , ob puberem ætatem , omnino sunt impares . Contra hujusmodi abusus invehitur S. Doctor sequentibus sensibus . *Scholares pueri , & impuberes adolescentuli , ob sanguinis dignitatem promoventur ad Ecclesiasticas dignitates , & de sub ferula transferuntur ad principandum Presbyteris , letiores interim , quod virgas evaserint , quam quod obtinuerint Principatum , nec tam illis blanditur adeptum , quam ademptum magisterium .* Hic ad rem recolenda epistola S. Bernardi 271. ad Teobaldum , Magnum tunc temporis Principem , Campaniæ Comitem , Claravallensium benefactorem insignem , à quo rogatus Bernardus , ut filio suo adhuc puerο dignitatem Ecclesiasticam , sua mediatione , obtineret , negavit assensum ; significans qualiter bona conscientia , opitulari haudquaquam poterat ejus petitioni , ad quem in hac causa , sic rescripsit . *Scitis quia diligo vos , me quoque diligi à vobis non dubito , sed propter Deum , quem si offendero , non erit quod me diligere debeatis , cum jam non fuerit in causa Deus . Ergo ut eum offendam fortassis nec vobis expedit : offendendo autem proculdubio , si facio quod*

To. II.

E

requi-

requiritis: Nam honores, & dignitates Ecclesiasticas, non ignoratis deberi his, qui eas digne, & secundum Deum administrare & velint, & possint. Porro eas acquiri parvulo filio vestro precibus meis, vel vestris, non vobis justum, nec mihi tutum esse noveritis. Ubi verò emerserit, ita ut secundum Deum habere possit, probabo me amicum: Verba cedro digna. Non nisi maturum annis, & moribus Episcopum praesidere opportet. Scio multos esse Juniorum, qui super senes intelligunt, moribus antiquant dies, præveniunt tempora meritis, & quod aetati deest, compensant virtutibus; ideoque monet Apostolus: *Ad Tim. 4.* Nemo contemnat adolescentiam, meliores enim sunt bonæ indolis adolescentes, quam inveterati dierum malorum; & item, *senectus venerabilis est, non diurna, neque annorum numero computata, ætas enim senectutis, vita immaculata.* Si hujus ponderis juvenem sit invenire, ad Episcopatum promotum, laudet Ecclesia Deum, hoc opus Dei est, sed potius mirandum, quam initandum; perquam enim raro suscitat Deus Samueles, Jeremias, Danieles; Satius itaque, & tutius Ecclesiis, aetate, consilio, atque virtutibus maturos præficere, semper enim periclitatur Ecclesia, ubi adolescentior est Praeses. Requirit Apostolus in Timotheo, ut nemo adolescentiam ejus contemnat, qui tamen jam adultior annis erat. Nihilominus verebatur Apostolus, ne juventus esset obnoxia contemptui, quamvis in Timotheo singularis morum maturitas, & prudentia, aetati adderet authoritatem. Quid diceret S. Apostolus, si impares videret accipere sedes Patrum; Magistros, & Pastores populi dici, qui adhuc opus habent esse sub disciplina. Quam alienus esset à promovendis junioribus S. Pius Quintus, satis constat ex eo, quod approbare non potuit nepotem Principis Brunsvicensis, ad Episcopatum Halberstadiensem electum, hac de re, sic scribens ad Capitulum præfatae Ecclesiæ: *Postquam lectis epistolis vestris, & postulatione vestra cognita, nobiscum de ea re cogitare coepimus, non potuimus non admirari, his tam calamitosis temporibus, ad hujusmodi consilium*

vos

vos descendisse.... Nimis absurdum, nimis alienum ab instituto Pontificatus nostri foret, nimis non Catholicos modò, sed etiam Ecclesiæ adversarios, & hujus S. Sedis inimicos offendurum, si puerò, illa ætate, Ecclesia, nobis approbantibus, committeretur. Quam Deo rationem, in tremendo judicii dic, facti nostri reddere possemus &c. Ita Pius Pontifex, qui nec dubitavit in similem sensum, ipsi Duci Brunsuicensi, Avo Principis, in Episcopum electi, respondere. Statim Dux Brunsuicensis, Pontificiis Monitis acquiescens, à suà petitione recessit. Dignum factus posteris exemplum, quà submissione debeant Pontificiis sensibus obtemperate. Molestem debitoris nomen, potius servienti, quàm dominanti congruere, ut supra vidimus, S. Beruardus Eugenium, & in eo omnes Ecclesiasticos Præfules docuerat; profectò si in hac meditatione, ut par esset, exardesceret ignis eorum, qui tanto desiderio, inter Ecclesiasticas dignitates, sive in Clero, sive in clauistro dominari affectant, magis subesse, quàm dominari stuperent, nec ambitio ambientium crux, omnes torquens, omnibus placeret. Sed quia sola attenditur gloria, non poena, heu' quantos ex utroque Clero nunc torquet ambitio. Sed quod deplorabilius est, gladio ambitionis plus jugulari experimur, quos natura ipsa, ut ab infantia umiles esse doceret, non nisi inter umiles fascias à nativitate excœpit. Quantos hujus furfuris videre est, quos si contingat ad dignitates assumi, maximè in claustris, humilis suæ nativitatis obliti, semper magis ambire, dominari, & superbire contendunt. Ita ut ipsis congruat, quod scriptum est: *Superbia eorum ascendit semper.* Hi sunt, qui plus cæteris, & super cæteros, semel ac Prælaturas obtinuerunt, debitoris nomen, quod à quacunque Prælatione Ecclesiastica, maximè regulari, indivisibile est, plus dominant, quàm servienti congruere arbitrantes; in victu, in habitu, in ornatu cellularum suarum, tanto cum observantiae regularis detimento, introducunt excessus, & in medio domus humilitatis faciunt superbiam, qui in domo sua non nisi humiles apparere potuissent.

## C A P U T S E C U N D U M

### S Y N O P S I S .

*In satis prolixo hujus tertii libri capite secundo, varia circa appellationum usum, & abusum discutit S. Bernardus: & primo explicat, qualis modus, in appellationibus ad Sedem Apostolicam, sit adhibendus. Deinde suum circa appellationes sensum exprimit, mox appellationem de toto mundo ad Pontificiam Sedem, afferit esse testimonium convincens Primatus Summi Pontificis. Appellationum abusus expendit, quoniam si illicite sint usurpatæ, nec profundt appellanti, nec obsunt appellato. Proinde probat necessitatem coercendi contemptum appellationum, pœnas infligendo, injustas appellationes usurpantibus; variisque exemplis declarat, qualis etiam fuerit suo Ævo appellationum abusus.*

### S E C T I O P R I M A

*Aliud est, quod ab oppressis clamatur ad te, aliud autem, quod ambitio in Ecclesia per te regnare mollitur. Nec deesse illis, nec huic aliquatenus adsentire opportet &c.*

**E**RIGERE oppresos, reprimere ambitiosos, non modò utilis, sed indispensabilis occupatio est Principis, cuius omnes sensus, actus, & motus, semper collimare debent ad vindicandam iustitiam, quæ non melius, quam inter oppressos erectos, & ambitiosos repressos triumphat. Ubi oppressis non occurrat, ambitiosis non obsistat Princeps, quid nisi murmur, nisi angustiæ in subditis, quid nisi ira, odium, & invidia foveri potest inter gentes. Ubi Princeps deest oppressis, & quamvis parum adsentire patiatur ambitiosis, gaudent mali, gemunt boni. Quapropter jure oppressi appellant ad Principem: Reges enim, Deus constituit in bonorum

norum subsidium, in malignantium timorem, in impiorum vindictam, honestè viventium in defensionem, laudabilia operantium in remunerationem. Si oppressis non patet aditus appellationis, sæpè conculcarentur leges, triumpharet injustitia, totiusque boni regiminis sequeretur subversio, quam præ cæteris vitiis, semper molitur ambitio, quæ adeo callida est suis in versutiis, ut etiam attentare valeat per eos regnare, à quibus suum semper pavere deberet exterminium. Hinc intelligere est, quo sensu dixit S. Bernardus, quòd ambitio, arreptà appellationum occasione, per Pontificem ipsum, in Ecclesia regnaare molitur; cum tamen vigilantia Summorum Pontificum, semper ad hoc collimaverit, ut omnes ambitiosos ab Ecclesia evellat. Docuit ambitio, vel ipso remedio appellationis, ad innocentiae præsidium instituto, ad iniquitatis defensionem abuti; compertum enim habentes facinorosi, quòd appellantantes sæpè triumphant, non æquitate causæ, sed ope fautorum, gravamina simulant, ut sub specioso appellationis subterfugio, ab ordinarii Judicis sententia, declinare valeant. Proinde ad Pontificem appellant, scientes nunquam deesse facinorosis patrocinium: ex quo fit, ut injustè appellati, et si causâ justitiae suffulti, cedere malint, quàm sententiæ succumbere, quæ aliquandò in causa appellationis, favorabilis appellanti, gravis appellato profertur: quia appellantes in primo judicio justè damnati, in secundo proferentes munera, pro retributione absolutionem sæpè reportant. Hinc impudentiores facti injustè appellantes, ubi potius debuissent reprobari, è converso, ope fautorum suorum triumphant: suamque promunt ambitionem. Heccinè quo sensu dixerit S. Bernardus: *Aliud est quòd ab oppressis appellatur ad te, aliud autem, quòd ambitio, in Ecclesia, per te regnare molitur;* scilicet per corruptos ministros, inter quos fortè est reperire, qui extendunt manus suas ad munera, plus parati recipere, quàm dare, plus studentes mammonæ, quàm protegenda æquitati. Ad quæ avvertenda scandala, opus est Pontificem, summo studio eniti, ut non desit oppressis.

S.E.

## SECTIO SECUNDA

*Et quoniam incidit de Appellationibus sermo, prosequi aliquatenus non erit abs re. Magno in his, & pio opus est intuitu, ne quod magna fuit necessitate provisum, male utendo reddatur inutile.*

**A**dhibita sine debita cautione remedia, non liniunt, sed exasperant vulnus; ad fulciendam in levamen oppressorum justitiam, provisum fuit appellationum remedium; quod si omnibus, & indiscriminatim, sive oppres- sis, sive non, semper pateat ad appellationem aditus, facile justitia subvertitur; & gravamen illud, de quo indebet conqueruntur appellantes, opprimet iustitiae appellatos; qua propter *magno in appellationibus opus est intuitu, ne quod magna fuit necessitate provisum, male utendo reddatur inutile*. Magna utique necessitate provisum est appellationum remedium. Cujus non solum apud fideles, sed etiam apud Gentiles usus invaluit. Unde legimus, quod Paulus, de injuria sibi illata, appellavit ad Cæsarem; sed adhuc antiquiora appellationum exempla proferuntur. Temporibus siquidem Philippi, patris Magni Alexandri, quædam mulier gravata à Regis sententia, post prandium à Philippo prolata, cum Superiorum non haberet, ad quem posset appellare, appellavit à Philippo ebrio, ad Philippum sobrium, & recognita de facto, die sequenti, à Rege mulieris causa, reparationem obtinuit. Quantæ vero venerationis, & auctoritatis sit appellatio, ex eo satis patet, quod appellante Paulo ad Cæsarem, statim ad Cæsaream fuit dimissus; magis autem extenditur appellatio in Ecclesiastico, quam in Sæculari foro; nam inter Sæculares, solum appellatur à sententia minoris Judicis, ad maiorem. In Ecclesia appellatur à quocumque gravamine, etiam extra judicium illato, ad Romanum Pontificem. Videtur autem, quod appellatio, instinctu ipso naturæ impellente, sit inducta. Providit enim natura, quod fugerent ani-

animalia suis in necessitatibus : Juxta illud in Psalmo : *Petra refugium hærinaciis* : eodem igitur jure naturæ, debent homines gravati habere refugium. Nulla consuetudine, vel statuto, tolli posse appellationem justam ad Principem, clamat jus naturale . Verum quidem est , quòd pro bono regimine , circumscribi potest appellationis tempus , & modus.

### S E C T I O T E R T I A

*Miki videtur , & in multam eas posse devenire perniciem , si non summo moderamine actitentur .*

**N**On modo redduntur appellationes inutiles , sed & in multam devenire possunt perniciem , si summo moderamine non actitentur . Scitè à Philosophis dictum : *Debet esse modus in rebus* . Aliquando contigisse compertum est , ut appellante oppresso , levamen appellationis non senserit , sed oppressoris prævaluerit causa ; quapropter : *Psal. 10. 2. Superbit impius , cum incenditur pauper* . Sæpe qui in primo judicio , ab Ordinario Judice faerunt justè damnati , ut inflictam poenam effugiant , quam tamen suis excessibus debitam esse non ignorant , introducunt appellationis judicium ; cum sic res agitur , tunc proculdubio malus est appellationum usus , redduntur appellationes inutiles , & in multam devenire possunt perniciem ; potest enim contingere , ut injustè appellatus , non possit succumbere appellationis expensis , quas unà cum muneribus profundens injustè appellans , fit ut subvertatur judicium , superbiat impius , incendatur pauper , non sine gravi injuria ipsiusmet Judicis , qui in primo judicio justam protulit sententiam . Ad hæc avertenda scandala , non permittendum appellationis judicium , nisi illius partis expensis , quæ debitam sustinere probabitur damnationem . Tām necessaria sunt pro bono regimine , & civili confortio appellationum judicia , quām Sol ipse pro sustentatione mor-

taliū; nihilominus mortaliter peccare à sententia iusta appellantem, & ad restitutionem dñnorum, atque expensarum teneri, unanimis est Doctorum sensus. Principis autem est, sua providere solertia, *ne malè utendo, non modò reddantur appellations inutiles, sed ne in multam deveniant subdiorum perniciem*, quoniam nonnisi magna fuerunt necessitate provisæ; scilicet ad eorum solatium, qui Judicū incuriā, aut insufficientiā, vel dolo, possent in primo Judicio gravari.

### S E C T I O Q U A R T A

*Appellatur de toto mundo ad te, id quidem in testimonium singularis primatus tui.*

**I**N testimonium primatus Petri, ejusque successorum, appellatur de toto mundo ad Romanum Pontificem; ex quo liquet, supra omnes totius mundi Prælatos, admittendum esse unum supremum Episcopum, qui omnibus præsit, acta eorum possit recognoscere, confirmare si bona, reparare si insubstantia. Hanc veritatem diversæ evincunt rationes, quarum prima à Divo Thoma proferitur: 4. *Sentent. dist. 24. q. ult. Ubicumque multa sunt ordinata in unum, necesse est dari aliquid universale regimen, super particularia regitiva, quæ solum pro speciali bono promovendo sunt instituta.* Hujusmodi sunt Dioeceses, quibus præficiuntur Episcopi, quæ omnes simul sumptæ unum constituunt ovile, & unum efficiunt corpus, cuius corporis unitas, ut possit servari, necesse est dari aliquam potestatem regitivam totius corporis, nempe totius Ecclesiæ, supra potestatem Episcopalem. Hæc autem est Pontificalia potestas, *ad quam de toto mundo appellatur, in testimonium singularis primatus*, qui à Christo fuit D. Petro, ejusque successoribus collatus. Ipsa etiam naturalis ratio suadet, debere in Ecclesia unum dari, qui supra omnes præmineat potestate, primatu, & jurisdictione. Una enim

enim est Ecclesia, ad cuius unitatem servandam, debent omnes fideles in una fide convenire: passim vero occurrit, quod circa aliquos fidei articulos, moventur questiones, in quo casu, per diversitatem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitate, per unius Supremi Judicis sententiam servaretur, cuius sententiae prolatae, post agitatas questiones, post rem seriò consideratam, & orationibus commendatam, debeant omnes acquiescere, tamquam sententiae ejus, cui Deus ex speciali privilegio revelat, quid in occurrentibus difficultatibus, sit credendum: ceterum si haec prærogativa decidendi in difficultatibus, quæ excitari possunt circa fidem, & mores, non esset uni soli specialiter commissa, nullatenus subsistere posset Ecclesiæ unitas; quandoquidem nullam est questionem invenire, quæ si diversorum vota querantur, divisos hinc inde non inveniat patronos; Proprium enim est humanæ infirmitatis in suo sensu abundare; ideoque illis in rebus, quarum decisio à multitudine dependet, semper ut plurimum disparti sensus inveniuntur. Ad hanc tollendam ab Ecclesia ambagem, ad eandem in unitate servandam, appellatur *de toto mundo ad Pontificem, in testimonium singularis ejus primatus*, tum maximè quia Ecclesia militans, ad similitudinem triumphantis est à Christo instituta; cum ergo in Triumphantí Ecclesia unus præsideat, scilicet Deus, unus etiam præsidere debet in militanti, Christi Vicarius in terris, scilicet Romanus Pontifex, qui supplet præsentiae corporali, & visibili Christi, quam Christus Ecclesiæ subtraxit, ex quo in cælum corporaliter ascendit. Experientia semper probavit, optimum regimen multitudinis illud esse, quod in uno capite solidatur: Est autem contra dubium, Christum in Ecclesia sua constituere voluisse illud optimum regimen, à quo unitatem, & pacem melius servari posse prævidebat. Hoc autem regimen esse monarchicum, haudquam revocari potest in dubium. Videatur hac de re S. Thomas, in tractatu contra errores Græcorum. S. Chrysostomus super Matthæum.

Primatus Romanæ Sedis venerabundi , semper se exhibuerunt totius Catholici orbis Principes , de quibus intelligi potest sermonem fecisse D. Bernardum , dum in præsenti Eugenium alloquens , subnectit *Spiritus subjiciuntur vobis* hanc subjectionem , semper livido oculo respexerunt Hæretici , quapropter ubi contra Pontificiam dignitatem calamum possunt acuere , utique maledictis non parcunt , ut Catholicos , quantum in ipsis est , à debita veneratione erga primam , & excelsam Apostolicam dignitatem amoveant ; propterea improbant Principes Catholicos , eò quod in testimonium suæ devotionis erga Pontificem , filii ab eodem vocari , non modò patientur , sed glorientur , etiam si contingat umilem esse qualitate natalium . Sed quid facilius , quam præente Sacrae Scripturæ lumine , dissipare tam insulsa reflexionis caliginem . Opus Dei esse Summorum Pontificum electionem , qui facit mirabilia magna solus , satis probat perpetuus , & unanimis Catholicorum consensus . Quis neciat ( utor verbis S. B. ep. 237. ) *privatum hominem assumi ad præsidendum Principibus , ad imperandum Episcopis , ad regna , & imperia disponenda* . Utique qui sic insipienter loquuntur , oblii sunt Judiciorum Dei antiquorum , ubi plurimi recensentur ex privatà , seu etiam rusticana vita , olim assumti in voluntate Domini , ad regendum populum ejus : Nonne , ut unum è pluribus proferam , tali quodam modo , elegit Deus David servum suum , suscepit eum de gregibus , de post fætentibus accepit eum ; Ita inquam , ita & de Summo Pontifice , in beneplacito Domini , potest contingere . Ergo improbandi erunt tot Prophetæ , tot Iudaici Regni , tunc inter Orientis regna florescentis , Proceres , qui tanto obsequio Regem David , de post fætantibus à Deo selectum , venerati sunt in Regem : Redarguant planè illos levitatis , qui sic inepte de Pontificibus sentiunt , postmodum levitatis incusare poterunt Catholicos , qui Romano Pontifici , Christi Vicario , spirituali omnium Patri , Ecclesiæ universæ Pastori , obsequium præstare gloriantur . Proh ! Hæreticorum dementia , quæ nec vult , nec valet intelligere

gere , qualiter potens est Deus , suscitare de pulvere egenum , & de stercore erigere pauperem , ut sedeat cum Principibus , & solium gloriae teneat . Sed iterum contra Hæreticos hic inculcanda D. Bernardi verba , qui in prælaudata epistola , adeò claris notis exprimit , Pontificem assumi ad præsidendum Principibus . Ergo novitas non est præminentia Pontificis supra Principes , si etiam vivente D. Bernardo , Pontifex assumebatur ad præsidendum Principibus , ad imperandum Episcopis , ad regna , & imperia disponenda . Ad Conradum Romanorum Regem , Imperatorem Augustum , scribit S. Bernardus , eumque monet , ut Romanō Pontifici , tamquam potestati à Deo constitutæ , supra Reges , & Regna , se verè subditum exhibeat . Hæc sunt ejus verba , epist. 183. In omnium planè Principum animis digna , quæ inferantur . *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit , & qui potestati resistit , Dei ordinationi resistit . Quam tamen sententiam cupio vos , & omnimodis moneo custodire , in exhibenda reverentia summae , & Apostolicæ Sedi , & B. Petri Vicario , sicut ipsam vobis vultis ab universo servari imperio ; ergo si Principes Romano Pontifici , tamquam Christi Vicario se submittere renuerent , Dei ordinationi resisterent . Qua igitur fronte , reprobare audent Hæretici Principum submissionem , adeo laudabiliter ab ipsis , Christi Vicario , exhibitam , quandoquidem à Dei ordinatione præcipitur . Similes passim sensus est legere in Sanctorum Patrum operibus , qui ab Ecclesiæ exordio , usque ad nostra tempora scripserunt . Percurrunt Catholici , non oculo livido , sicut Hæretici , sed pacato animo Ecclesiasticos fastus , & passini inveniunt digniores saculi Principes , majores fuisse Pontificiæ dignitatis venerabundos ; proinde Constantinos , Theodosios , Henricos , Stefanos , Leopoldos , Ludovicos , Sanctios , Amadeos (quorum omnium , aliorumque Catholicorum Principum devota submissio erga S. Sedem adeò commendatur ) improbare aggreditur , quisquis irridet obsequium , quod moderni Principes , & universus Catholicorum coetus præ-*

stant Christi Vicario. Quid securius sibi revelatum jactant novatores, quod tot præterierit Sanctos, effugerit sapientes, cum obsequium, quo Catholici omnes Romanum Pontificem excipiunt, impugnare conantur. Hanc certè doctrinam non à Sapiente, non à Prophetā, non ab Apostolis acceperunt. Magister gentium accepit à Domino, quod & tradidit nobis; Magister omnium, suam doctrinam fateatur non esse suam, dicens: *Ioan. 7. Non enim à me ipso loquor*; Hæretici vero de suo nobis tradunt, & quod à nemine acceperunt. Qui loquitur mendacium, de proprio loquitur. Nos Catholici, Prophetas, Apostolos audimus, obedimus Evangelio, doctrinam sequimur Sanctorum Patrum, qui nos unanimes docent, Summum Pontificem venerari in Christi Vicarium, in spiritualem omnium Patrem, cuius se spirituales filios nuncupari etiam Reges gloriantur; nec putant hoc nomen officere Regiæ majestati. Nomen filii est nomen amoris, & ut qualem in Christo custodiunt affectum erga Reges Catholicos, exprimant Summi Pontifices, eos dilectissimos filios appellare consueverunt. Nonne suis in angustiis plures Catholici Principes, sæpè apud Pontificem, paternum experti sunt, & subsidium, & affectum. Quid vetat itaque, Pontificem à Regibus venerari in Patrem. Abba, idest pater vocatur, qui præfet uni monasterio; potiori jure pater vocari debet, qui omnibus præfet Catholicis, qui sanæ doctrinæ pabulo eos nutrit. Stultitia videtur hæreticis, debitæ devotionis testimonium, quod exhibit Catholici Summo Pontifici. Sed non mirum, quod qui spiritu dæmonis agitantur, intelligere non valeant, quæ sunt spiritus Dei, quæ sunt mutuæ pietatis, & devotionis effectus; at si non valent comprehendere, nimis indignum est, quod audeant irridere, & contemnere. Ut Pontificiam dignitatem, quantum in ipsis est, depriment Hæretici, dignorem non eligi ad Petri Cathedram blaterant, sed eum, quem unicuique electorum propria passio proponit. Si res, ut asserunt, ita se habet, cum unus tantum ex omnibus Cardinalibus eligatur ab omnibus, omnes

nes ergo electores erunt ab una, & eadem passione ducti, & peculiare lucrum, quod unusquisque, in sua electione respicit, jam fiet omnibus Electoribus commune incrementum. Sed quomodo idem peculiare lucrum, omnibus fieri potest commune incrementum: nonne hoc impossibile esse vel pueruli agnoscunt. Si ergo omnes in unius electione conveniunt, jam constat electionem Pontificis, non esse opus privatæ passionis, & cabalæ, ut perperam afferunt hæretici, sed esse opus Dei, qui facit mirabilia solus, & habitare facit unanimes in domo. ( Unanimis enim electio, numquam fuit opus privatæ passionis, sed probitatis, & æquitatis ). Ad hoc dignè perficiendum, universus coetus Catholicus, jure merito præventiva, & quotidiana invocatione Sancti Spiritus, ejusdem assidentiam implorant, ad hoc, ut Spiritus ipse, qui quando vult spirat; cum Ecclesiæ proficuum esse noverit, omnium vota in unius electione conciliet. Congregantur Cardinales in conclavi, nec statim eligunt Summum Pontificem, quia nundum, juxta divinam providentiam, cuius judicia humanæ imbecillitati sunt semper abscondita, tempus electionis advenit; & tunc solum eligitur, cum pro Ecclesiæ bono, tempus electionis adeste, Deus decernit; & eo magis indè confirmamur, à Spiritu Sancto Pontificem eligi, quod electores, ad plures dies, vel menses penè omnes dispares sensu; cum minus cogitant, statim in unius electione unanimes conveniunt, quod certè solius Dei opus esse, qui facit mirabilia magna solus, non est qui ambigere valeat: quam divinam providentiam, potissimum expertus, & veneratus est orbis Catholicus, in electione Regnantis Summi Pontificis BENEDICTI XIV. in cuius assumptione, cum de ea minus cogitabant electores, divino lumine afflante, statim unanimes convenerunt; penè idem fuit proponi, & eligi; sic compertum est, quod æternus spiritus in omnibus, sed præcipue in electione Summi Pontificis, ubi vult spirat.

## SECTIO QUINTA

*Attamen si sapis, non primatu gaudebis, sed fructu. Apostoli dictum est, in hoc nolite gaudere, quod spiritus subiectiuntur vobis.*

**Q**uisquis ad Summum Pontificatum erigitur, apicem summi honoris pertingit, ad quem, in hac vita momentanea, potest mortalis homo elevari: omnibus praest, omnes antecellit, nulli est subditus. Ipsi, utpote Christi Vicario, suum Reges exhibere famulatum gloriantur, ipsi curvantur imperia; sed in tantæ dignitatis, & honoris celitudine, non deest jugis materia justi doloris, à quotidianis damnis, quæ patitur Ecclesia; Proinde quisquis Pontifex eligitur, *si sapit, non gaudebit primatu*, sed enixè curabit *ut gaudere valeat fructu*, nempe Ecclesiae progressu in observantia disciplinæ Ecclesiasticæ, in reformatione morum, in extirpatione Hæretorum; enim vero, quomodo primatu gaudere valet, si desit gaudium fructus. Quò gaudium Pontificis se se potest pretendere, quandoquidem legimus, ad Pontificatum assumptos, ferè omnes veritatem hanc, proprio comprobata experimento, non potuisse ingenue non confiteri, vitam scilicet Summorum Pontificum, vitam esse angustiis, & vexationibus undique agitatam; si verè Pontifex suo satagit muneri satisfacere, si de onere sibi imposito attente cogitat; si de ratione animarum reddenda supremo Domino, tacitus secum considerat; si demum quisquis in Pontificem salutatur, statim reflectit; nonnisi ad paucos annos, probabiliter se posse de tam excelsø primatu gaudere: paucissimos enim numeramus, ab institutione Pontificatus, usque ad nostra tempora, qui vigesimum annum excesserint; neminem, qui vigesimum quintum, uno D. Petro excepto attigerit; perpaucos, qui duo lustra supervixerint; Reliquos omnes ad paucos annos, vel menses, vel etiam dies. O' nimis certè angustum temporis spatium, pro fruitione cujuscumque, vel inferioris dignitatis, non modò pro excel-

celso, & Supremo Pontificatus honore. Quis est, qui cum gaudio dignitatem sibi oblatam reciperet, si simul, & semel de ejus vita, probabilis proferretur sententia, ad quinque lustra non protrahenda.

Sanctus Bernardus, ut Eugenium doceat, non gaudere de primatu, eidem commemorat, quām brevis ævi sint Romanī Pontifices, sic eum alloquens : *S. Ber. epist. 104. Quantorum in brevi Romanorum Pontificum mortes aspergisti.* Res pro certo omnino terribilis; si quis serio perpendat, adeo brevem esse Romanorum Episcoporum vitam, ut solus Petrus vigesimum quintum annum attigerit, cum tamen in aliis Episcopatibus, passim reperiuntur Antistites, qui ad duplicatum hujusmodi annorum numerum, vitam suam protraxerunt. Nec suffragatur opponere, ad alios Episcopatus juniores promoveri, ad Romanam verò Sedem, ætate proiectos; Ideoque non posse in Pontificatu longum annorum cursum confidere: scimus enim, etiam plures juniores, & in viridi ætate constitutos, anteactis temporibus, fuisse ad Cathedram Romanam assumptos, quorum omnium nec unus valuit Petri annos dinumerare; ubi plures recenseri possunt Episcopi, qui propè sexagenarii, ad Episcopatum promoti, ultrà sex lustra, suo muneri satisfecere. Res utique omnino miranda, quod præter Sanctum Petrum, semper ante vigesimum quintum Pontificatus annum, mors præmatura rapuerit omnes Pontifices, si vè in viridi, sive in matura ætate fuerint electi. Quapropter, re benè perpensa, non aliud subjicere juvat, nisi dicere. *Quis novit sensum Domini.* Mirari possumus, sed non intelligere, cur tam brevis vivendi necessitas, in nulla alia totius Orbis Ecclesia reperiatur, itaut Romanorum Pontificum pauci, ultra duo lustra, vitam protraxerint. Sed fortè idcirco hoc judicii cœlestis ordo disposuit, ut quisquis ad Pontificatum assumitur, non gaudeat primatu, sed fructu. Non superbiat in auro, & gemmis, cum brevi resolvi debeat in vermes; Non fascinetur sublimitate dignitatis, qui brevi temporis intervallo, humiliari debet in tumulo, ubi mors æquat

æquat omnes; sed etiam hoc erit divinæ miserationis arcanum, ut universo humano generi mætum mortis incutiat, & discant omnes, quām despicienda sit temporalis vitæ gloria, quæ etiam in ipso gloriæ principatu est transitoria. Et certè quis tremefactus, ad sui obitus memoriam non provocetur, dum videt præcipuum omnium mortalium, Romanum scilicet Pontificem, tam angusti temporis compendio, morti succumbere. Sic fortè divina disposuit providentia, ad erudiendos, exemplo adeo visibili, omnes homines ad dignitates sublimatos, quatenus statim ac dignitatem consequuti sunt, studere omnino deberent, non de dignitate gaudere, sed contremiscere, dum quo major est dignitas, eò citius mors est ad januam. Nihilominus heu! quantos discernimus, dignitate, quam consequuti sunt, obcoecatos, quasi in eadem essent in æternum victuri, propinquæ mortis immemores vivere; cum tamen plurium fortè jam prædecessorum suorum mortem, suo ævo, suis oculis aspexerint, & ex brevissimo suorum prædecessorum vitæ cursu, in eadem dignitate, quam ipsi actu in amplissimis ministeriis, sive in Magistratibus, sive in martialibus honoribus occupant, suam quoque vitam, similem exitum citò habituram, non possint ignorare. Unicuique ergo ad dignitatem assumpto, paucis mutatis, aptari possunt D. Bernardi verba ad Eugenium: *S. Bern. epist. 104. In omnibus operibus tuis memento te esse hominem, & timor ejus, qui auferit spiritum Principum, semper sit ante oculos tuos.* Quantorum in brevi Romanorum Pontificum, (legant alii juxta dignitatem suam, Regum, Episcoporum, Ministrorum Magistratum) mortem tuis oculis aspexisti, ipsi te prædecessores tui, tuae certissimæ & citissimæ decessioris admonent, & modicum tempus dominationis eorum, paucitatem dierum tuorum nunciat tibi. Jugi proindè meditatione, inter hujus transeuntis gloriæ blandimenta, memorare novissima tua, qui illos, quibus successisti in dignitate, sine dubio brevi sequeris ad mortem. Quisquis cum hisce sensibus, dignitatem suam implere satagit, proculdubio non dignitate gau-  
debit,

*debit, sed fructu.* Alia etiam ratio brevioris vitæ Summorum Pontificum, deduci potest ex divina providentia, quæ sic disposuit rerum seriem, ut inter sublunaria, nihil posse in summo excessu, sive gaudii, sive doloris, sive prosperitatis, sive adversitatis diù permanere. Huic sensui inhaerens D. Bernardus lib. primo de Consid. cap. II. scripsit: *Dolor continuus, & acerbus diuturnus esse non patitur:* Contrariorum autem cum eadem sit ratio, dicendum est de felicitate, honore, & gaudio, quod in summo gradu, diù non valent persistere; cum verò inter honores, ad quos potest homo elevari, summum attingat, qui ad Pontificatum assumitur, factus Christi Vicarius in terris, & ab hoc honore adeo excuso, qui semel obtinuit, non possit nisi morte interveniente decidere, nihil interim possit ex Dei dispositione in summo excessu, sive gaudii, sive doloris, sive honoris, sive contumeliae diù persistere; hinc fortè deduci potest, quare Deus disposuerit, ut breviores sint Summorum Pontificum dies, eosque mors præmatura ita semper rapuerit, ut eorum nemo hactenus potuerit Petri dies dinumerare.

## S E C T I O S E X T A

*Appellatur ad te dixi, & utinam tam fructuosè, quam necessariè; Utinam cum oppressus clamat, sentiat oppressor, & non superbiat impius, unde incenditur pauper.*

**S**Emper consuevit humana malitia aliorum detrimentum suum convertere in lucrum; undè fit, ut ibi superbiat impius, ubi incenditur pauper. Clamat ad tribunalia oppressus, sed quia non habet undè offerat munera, exultat in ejus clamore oppressor, qui copiosis retributionibus studuit prævenire judicium. Utinam in tribunalibus ratio numquam staret pro plus offerentibus. Veh? populis illis, qui venales sortiuntur Judices. Clamare potest oppressus, si oblatio munerum non perorat, semper exultat oppressor, & ibi superbit impius, ubi incenditur pauper.

## SECTIO SEPTIMA

*Quid tam decorum, ut ad invocationem tui nominis,  
oppresſi refugiant, versuti non effugiant.*

**A**Què indecorum est Judici oppressos non recipere, ac  
versutis aures præbere: proinde urget Bernardus, cu-  
randum Pontifici, ut læsus sentiat opem, lædens indigna-  
tionem; iniquè appellans, si hoc faciat impunè, certum  
est ad iniquas appellations aditum reserari, ad cavillatio-  
nes fomitem admoveri, ad injusticias viam sterni, adeo ut  
ibi superbiat impius, ubi incenditur pauper.

## SECTIO OCTAVA

*Quid è regione tam perversum, tam à recto alienum, ut  
lætetur, qui malum fecit, & qui tulit inaniter fatig-  
etur; inhumanissimè non moveris erga hominem, cui illatæ in-  
juriae cumulavere dolorem, & labor itineris, & damna  
expensarum.*

**D**Effectu justitiae sæpè discoli peragrantur impunes. Imò  
quod deplorabilius est, juxta quòd scriptum legitur,  
gloriantur, & letantur cum male fecerint, & interim qui  
malum tulit fatigatur inaniter; sibi ratus in Curiā posse in-  
venire subsidium, non sine magno dispendio Romam pro-  
greditur, ut suam proferat causam, oppressionem ut pate-  
faciat, sed nihil indè sæpè reportat, quam laborem itineris,  
expensarum damnum, pristinum cumulantia dolorem; clau-  
fas siquidem, ut plurimum, fores invenit, qui apertis non  
ingreditur manibus, & imunera offerre aut non valet, aut  
negligit his, qui possunt ad Judices exhibere accessum. Quan-  
tumvis probus sit Judex, vix est invenire Judicem, qui ve-  
nales non habeat domesticos, hinc nascitur omnis usura,  
& dolus: adeò ut magis gravati, & dolentes revertantur,  
quam accesserint, qui ut ab illato in patria sua gravamine  
alle-

alleviarentur, tanto dispendio passi sunt laborem itineris. Sæpè domesticus, qui fruitur peculiari gratiâ domini, corruptus à retributione clientum, dominum suum inclinat parti propensum, quæ abundantiora munera obtulit: & ut corrumpatur justitia, licet venalis non sit judex, sufficit ut munera diligat servus: proindè evigilandum à Judicibus, ne hæc incongrua contingant; quod si contigisse reperiant, moveantur necesse est miseratione, moveantur, & indignatione; alteram enim læso, alteram lædenti debent. Proindè provideant, ut recurrentes pro justitia consolentur, damnorum resarcitu suorum. Imo invigilent, ne lædantur ob suorum turpitudinem domesticorum, qui advenis, ad curiam pro justitia adventantibus, aut aditum occludunt, ne coram Judicibus jus suum dicere valeant, aut student prævenire in favorem partis opulentioris, quæ munera obtulit. Evigilent proindè Præfules, dum hæc contingunt; moveantur miseratione, moveantur & indignatione sua: miseratione erga eos, qui expectare coguntur, non sine magnis expensis; indignatione contra eos, qui retributionibus inhiantes, expectantes fatigant, insciis Judicibus: in hoc tamen culpabiles, quòd non evigilant super domesticos suos, ut eorum aviditatem reprimant, prohibentes ne retributionem accipiant ab eis, qui suam ad audientiam accedunt, ne dicere possint advenæ revertentes ab urbe ad propria: *emptum non datum Romæ*; quandoquidem immoderatus expensarum excessus, cui succumbunt, qui ad Romanam Curiam adventant, ferè totus ab insatiabili aviditate eorum, qui in domibus Prælatorum famulantur, suam trahit originem. Hactenus scripta, corrupta tribunalia, corruptis temporibus D. Bernardi, contra quæ calamum acuere fuit coactus, non ævum nostrum respiciunt, quo Judices, ad omnem probitatem compositos veneramus, vix enim nunc temporis, in totius orbis tribunalibus, Curiam est reperire, quæ magis sollicitam exhibeat, quam Romana in propositis causis, justitiam.

## SECTIO NONA

*Arbitror idem debere pati illum, qui sine causa forte appellavit. Formulam banc justitiae praefigit tibi, & divine incommutabilis ratio aequitatis: & nisi fallor ipsa appellationum lex, ut illicite usurpata appellatio, nec pro fit appellanti, nec appellato ob sit &c.*

**C**ontra appellationes injustas, justissimas promulgavit leges Tridentinum Concilium, sessione xiiii. de reformatione, capite primo, secundo, & tertio; quarum si sedulò observaretur praxis, plures utique poeniteret fecisse, quod non timuerunt facere. Et adeò frequentes non essent appellationum usurpationes, quæ sicut ut plurimum prosunt injustè appellanti, ità obsunt injustè appellato. Appellationibus aditum referare debet justitiæ zelus; qua propter antè Ordinarii Judicis sententiam appellare, improbum omnino esse censetur, nisi constet de manifesto gravamine, cui possit succumbere in judicio constitutus antè Judicem, non sine probabili fundamento, sibi suspectum, quem sibi timere possit infensum. Cæterum omnis injusta appellatio semper fuit turpitudini patrocinium. Quapropter, ubi de causa appellationis agitur, primum judicium esse deberet, *an constet de justâ appellatione*, de quâ si probatur, quod absque rationabili fundamento fuerit interposita, rejiciendus omnino est appellans, & ad suum Ordinarium Judicem remittendus; Rejiciendus inquam, imo & puniendus, ne gloriari possit, cum malefecerit, ut hujusmodi punitionis exemplo, discant alii, suis Ordinariis Judicibus debitum deferre honorem, eorum reverenti, & timere auctoritatem, & ab injustis demum appellationibus abstinere, quibus admissis, superbit impius, incenditur pauper. Quod vel maximè formidari opportet à turpibus, turpitudini patrocinari non decet.

## S E C T I O D E C I M A

*Appellantur boni à malis, ut non faciant bona,  
& supercedent à voce tonitru tui,  
formidantes &c.*

**A**PPELLATIONUM DAMNA, quæ contra æQUITATEM intro-  
ducuntur, expendit præfatis suis in fensisbus S. Ber-  
nardus, suo ÆVO irrumpentia, quæ utinam nostris etiam  
non invalecant temporibus. Malè appellati non ignorant,  
ut plurimum in appellationis judicio, immoderatas expen-  
sas excedere lucrum, quod erui potest ex reparatione sen-  
tentiae; optimè sciunt, etiam in Curia esse, qui proclivius  
faveant appellantibus, foveant appellationes. Ideò malè  
appellati sæpè Romam non confugint, suam ostensuri in-  
nocentiam, alienam convicturi malitiam; utilius creden-  
tes, tamquam contumaces condemnari, quantumvis inno-  
cui, quam illuc se conferre, ubi à longo itinere fatigati,  
à longiori lite vexati, nihil inde emolumenti sæpè colli-  
gunt, quam expensarum damno succumbere, longè exce-  
dente lucrum, quod sperare juvat ex protracta sententia,  
quamvis justitia causæ suffulti: cum sæpe contingat appelle-  
lantes triumphare, non æquitate causæ, sed ope fautorum,  
vel aviditate Curialium, novis semper cavillationibus adin-  
ventis, quibus plerique Curiales abundant, ut nova sem-  
per à Clientibus emungant stipendia; undè sæpe fit, quod  
majus sit damnum expensæ, quam fructus sententiae. Quapropter  
multi etiam hodie malunt substantiis, patrimoniiis,  
& rebus sibi debitis carere, quam propter illa acquirenda  
litigare; adeo verum est, quod sæpè satius est cedere,  
quam judiciorum aleam subire.

## S E C T I O U N D E C I M A

*Fateor me non omnino discredere his: quem das mihi in  
tām crebris appellationibus, quæ hodiè sunt, qui pro*

*expensis itineris, nummum restituerit illi, quem fortè appellari? Mirum verò si ità omnes, & appellantes justi, & appellati rei, vestro examini inventi sunt. Diligite, inquit, justitiam, qui judicatis terram. Parum est justitiam tenere, nisi & diligas. Qui timent tenent: & qui diligunt zelantur. Amator justitiae inquirit justitiam, & prosequitur eam, omnem injustitiam persequitur &c.*

**E**xemplis, & rationibus prosequitur S. Bernardus in medium adducere appellationum abusus, ut ad eos coercendos excitet Summum Pontificem, ostendens qualiter ipsa ratio justitiae postulat, de indebitis reintegrari expensis ab injustè appellante, qui contra æquitatem est appellatus. Non enim omnes appellantes innocentes sunt, sicut nec rei omnes appellati inveniuntur. Proinde in appellationis judicio opus est, *non modo justitiam tenere, sed & diligere*. Diligit justitiam, qui odit iniquitatem: injustè appellantes iniquitatem faciunt, propterea non modò justitia retribuenda est injustè appellato, sed & debitis coercendus est poenis, qui injustè appellavit, & ad expensas indebitas adversam compulit partem. Quid sentiendum de judicibus, vel Causidicis, atque Curialibus, si ob eorum malitiam, vel potius avaritiam, & famem auri, expensæ multiplicentur. Veh' Judicibus, qui litigantium causas venationes faciunt. Veh' cum apparebunt in illius judicio, qui justicias judicabit. Quot Judices, cum Deus acceperit tempus ad justicias judicandas, tamquam rei condemnabuntur, eo quod licet justitiam tenuerint, justa judicantes, justè tamen non judicarunt, causas malitiosè protrahentes; Justitiam tenet, qui justum judicat, diligit qui justè judicat; justum judicat, qui in appellationis judicio priorem sententiam, quam cognoscit non esse æquitate fulcitam reparat; Justè judicat, qui non modo sententiam reparat, sed per breviorem viam ad sententiam causam perducit, & ad resarcienda damna expensarum, injustè litigantem compellit. Hoc est appellationum judicium

cium ad legitimum usum revocare, nè malè actitato appellationum judicio, in multam possit devenire perniciem. Appellationum judicium sicut non contemnendum, utpotè omnino necessarium, ità neque passim usurpandum, maximè cum ad appellationes recurrat caliditas, nec exigit necessitas. Facile erit appellationum coercere contemptum, si judex malè appellantem debitibus subjiciat poenis. Hic opportunè recolenda epistola D. Bernardi ad Innocentium Pontificem numero 178. in qua, non tam suas, quām aliorum Galliae Præsulum justas quærelas exprimit, de corruptione disciplinæ Ecclesiasticæ, propter appellationum abusum. Commendat proindè Eugenium in hoc de Consideratione lib. 3. Cap. 2., qui ad retundendas injustas appellationes, sèpè negavit appellationum suffragium, & suffugium. Redundum tamen ad præfatam epistolam, in qua, unā cum Galliae Episcopis, conqueritur, quòd perversi quidam homines, interposito appellationis suffragio, in exequendis pravis consiliis, quodammodo videntur Pontificia auctoritate muniri, & interim dignos Præsules, habentes zelum Dei, destitui, & contemni. Zelum itaque suum exerit in hac epist. S. Doctor, liberè, & reverenter Pontificem officii sui admonens, necnon probans disciplinam Ecclesiasticam, propter abusum appellationum corrumpti. *Fidenter loquor, quia fideliter amo, nec enim sincerus est amor, ubi dubitatis scrupulus suspicionis faciem retinet.* Quærimonia Domini Treverensis non est ejus solius, sed communis multorum, eorumque præcipue, qui sincerori affectu vos diligunt? Vox una omnium, qui fideli apud nos cura populis præsunt, iustiam in Ecclesia deperire, anulari Ecclesiæ claves; Episcopalem omnino vilescere auctoritatem, dum nemo Episcoporum in promptu habeat ulcisci injurias Dei; nulli liceat illicita quevis, ne in propria quidem parœcia castigare. Causam referunt in vos, Curiamque Romanam: rectè gesta ab ipsis (ut ajunt) destruitis, justè destruenda statuitis. *Quique flagitiosi, & contentiosi de populo, sive de Clero, aut etiam ex Monasteriis pulsati, currunt ad vos, redeuntes ja-*  
*stant,*

stant, & gestiunt se obtinuisse tutores, quos magis ultiores sensisse debuerant; An non gladius Finees promptissime, atque justissime eductus fuerat ad condemnandum incestuosum concubitum Dragonis, & millis? sed confusus, atque retusus abiit retrorsum, scuto nimirum Apostolicae defensionis opposito. Prob' pudor? quos cachinnos res ista movit, & moveat, eisque etiam ipsis, quorum fortasse metu, à recto trahite abducti sunt. Amici confunduntur, fidelibus insultatur, Episcopi ubique in opprobrium veniunt, & contemptum. Quorum dum recta judicia contemnuntur, vestrae quoque plurimum derogatur auctoritati. Ipsi sunt enim, qui honorem vestrum zelant; qui vestra pro pace, & exaltatione laborant, fideliter quidem, sed vereor ne inefficaciter; quid vobis minuistis, quidem robur vestrum deprimitis? Quousque retunditis arma fidelia militantia vobis, humiliatis cornua eretta vestrae virtutis, & salutis. Prosequitur deinde, in eadem epistola, plura recensere incongrua, imò scandala, quæ in diversis Galliae Ecclesiis, suo ævo producta fuerunt ab appellationibus injustè usurpati, indebet admisis, ut moveat Pontificem ad reparanda appellationum damna; gravi proindè quarimonia S. Bernardus honoris Dei, & decoris ministrorum suorum zelator eximius, intempestivas provocationes ad Romanam Curiam, earumque incommoda vehementer perstringit; similes planè quærelas, parique cum Bernardo sensu, & dolore, deponit in sua epist. ad Honorium Secundum Hildebertus Turonensis Archiepiscopus, sic scribens: *Quaslibet igitur appellationes in Romana vigere, & suscipi Ecclesia, cis alpes auditum non est, nec ex sacris traditum institutis.* Quod si forte hujusmodi emersit novitas, ut placeat omnem indifferenter accipere appellationem, Pontificalis censura peribit, & omnino conteretur Ecclesiasticae robur disciplinae. *Quis enim raptor, ad solam anathematis comminationem, non statim appellabit?* *Quis Clericus, aut Præsbyter frustratoriae appellationis refugio non putrebit, aut etiam sepelieretur in stercore suo?* *Quis Episcopus habebit in promptu, non omnem dico,*

dico, sed aliquam ulcisci inobedientiam; ejus virginam quævis appellatio quassabit, solvet constantiam, severitatem emoliet, adducens & illi silentium, & reis impunitatem delitorum: sic fiet ut sacrilegia, ac rapinae, fornicationes, ac adulteria, perniciose inundent incremento, cum præsul ad superfluae appellations clauserit ora, & desierit persequi piorum persequentes locorum; Cum viduarum injurias desierit ulcisci, & Orphanorum. Dilatatione nempe censuræ, facinora fovebuntur; & venient in profundum iniquitatis impunè delinquentes; super eos Evangelicum illud implebitur præceptum: Exi cito in plateas, & vicos civitatis, & pauperes, ac debiles, cæcos, ac claudos introduc huc. Quis vel cæcum, vel claudum intrare compellet, si cæcus cum compelletur appellat? Denique pro delicto Heli nullus Pontificum, punietur: Quoniam appellationis excusatione, suam quisque defenderet offensam. Exempla quædam censuræ semper vivunt, æmulatorum ejus vero, quælibet appellatio sepeliet, & vivos. Hoc unum est, sine discriminâ admissum appellationum refugium, ut plurimum transit in suffragium delinquentium; si enim qui timet à suo condemnari Episcopo, ad Archiepiscopum appellat, vel ab Archiepiscopo ad Romanam Curiam, quis non videat hinc referari aditum iusta judicia effugiendi, miscendi aqua inquis, infima summis; hinc discolos ansam eruere impunè delinquendi, sæpè enim priusquam absoluta sint appellationum judicia, in judicati in suo crimine tabescunt, & moriuntur delinquentes. Sed fortè quis dicet, si ita est, non expedit appellationum judicium, quod tamen adeò necessarium esse perhibet S. Bernardus, sicut necessarius est sol ipse viventibus. Si ita est, qui in primo gravatur judicio, dura gemitre debebit sub sarcina injustitiae, neque spes ulla levaminis patere poterit his, qui fortè in priori judicio fuerint oppressi. Absit, absit ut in Ecclesia Dei, quæ pia est mater, oppressi, & gementes, apud piam matrem invenire non debeat refugium; Pateat oppressis appellationum judicium; sed qui injustè appellant, sentiant appellationum judices, magis

ultores, quām tutores; admittantur appellations, sed illæ solum, quas ad levamen oppressorum justitia exigit, non quas, ad deliquentium suffugium, abusus admittit. *Magno in appellationibus, & pio opus est intuitu, ne quod magna fuit necessitate provisum, malè utendo reddatur inutile.*

## C A P U T T E R T I U M

### S Y N O P S I S .

*Ecclesiæ Præfules à Deo constituti sunt, non tam ut præfint, quām ut profint; Quapropter à Prælato subditorum utilitas quaerenda est, non propria. Eugenium laudat à vitio avaricie alienum, eò quod oblatæ munera recusaverit, quod certè argumentum fuit Romanis non modicæ admirationis. De Archiepiscopis Moguntino, & Colonienſi differit, qui Romam copiosis onusti muneribus acceſſerant, ut restituuerentur in sua Sede, à quā fuerant ob simoniae crimen depositi. Itidem quomodo ab Eugenio provisum pauperis Episcopi ægestati, ne immunificus reverteretur ad propria.*

### S E C T I O P R I M A

*Et primum quod occurrit, minime tranſeundum reor.*

*Praes, & singulariter. Ad quid? egēt, tibi dico consideratione.*

**C**UICUMQUE in Solio, sive Seculari, sive Ecclesiastico constituto, maximè considerandum occurrit, ad quid fuerit à Deo singulariter selectus. Difficile est posse Superiorem, munus suum laudabiliter adimplere, nisi quæ muneras sui sunt, seria studeat consideratione prævenire. Porro unusquisque Episcopus eligitur à Deo ut præſit. Sed laudabiliter præſesse, hoc opus, hic labor. Hoc pri-  
mum, quod unicuique in regimine constituto occurrit mi-  
nimè

nimè transeundum ; hoc est quod singulari eget consideratione ; cum tot tantaque sint , quæ ad dignum compendium Principem occurront , ut in ipsa considerationis abundantia , considerantis mens penè laboret inopia , & ad rem aptari possit illud Poetæ : *inopem me copia fecit* ; Quis enim adamussim recensere valeat omne debitum . Si recolere Principatus velit primordia , attendere media , memorare novissima ; illa adducent fortè pudorem , media dolorem ingerent , extrema metum incutient . Caveant Præfules , ne adeò necessariæ considerationis defectu , adjiciant adhuc ignorare , quæ cognoscere , & intelligere tenentur . Si enim cum in honore sint , intelligere negligunt , periculum imminet , ne in extrema discussione , comparari postmodum debeant à Supremo Rege jumentis insipientibus . Opportunè itaque in præsenti , de munere Principis instruens Bernardus Eugenium , & cum eo omnes Prælatos , & Princes terræ , instat his sensibus : *Pri-mum quod occurrit , minimè transeundum reor ; præs & singulariter* . Quòd autem in his de Consideratione libris S. Bernardus Eugenium alloquens , cæteros etiam , sive Saculares , sive Ecclesiasticos Principes commonere de suo munere intelligat , exprimit disertis verbis in præsenti capite 3. sic scribens : *Ad te proindè scripserim ista , non propter te , nempè quod tibi scribitur , soli prodeße non decet* . De officio boni Principis , sparsim suis in operibus , recolit S. Doctor , quæ simul collecta , verum Principis characterem exprimunt , inter quæ pauca selegi , quæ hic juvat colligere , & rectam principandi normam unicuique à Deo electo , ut subditis præsit , facile possunt exhibere ; digna itaque , quæ ab unoquoque Principe legantur , & perlegantur sunt , quæ scribit S. Bernardus ad Henricum Principem : *Ad hoc te constituit Principem super terram , Princeps Regum terræ , ut sub eo , & pro eo bonos foveas , malos coerceras , pauperes defendas , facias judicium injuriam patientibus . Si hac facis opus Principis facis , & spes est ut tuum Deus dilatare , & roborare valeat principatum ; si non ,*

*tumendum est tibi, ne hoc ipsum quod videris habere honoris, & potestatis, auferatur a te. Praeclaram etiam institutionem de officio Principis dedit Bernardus Theobaldo Campaniae comiti, eum docens humiliare pauperum oppressores, defendere pupillos, & viduas; misereri, & commodare, sermones disponere in judicio, providere quieti Ecclesiæ, rationem gladii intelligere, etiam per se ipsum Xenodochia visitare, nec horrere aspectus languentium; in hoc afferens duplicari clementia bonum, si Princeps videat, & foveat, consoletur, & reficiat; in præfatis omnibus summa in benè principandi artem constituens, & hoc a Principe requiri ex debito, ut laudi bonorum, & vindictæ malorum intendat. Hæc, & similia saluberrima monita, vir Dei scripsit, ad instruendos pro suo munere, avi sui Principes, ad quorum normam plures ex ipsis compo-  
fiti, factum est ut eorum pietas, & probitas, multis laudibus meruerit postmodum commendari; præfatis saluber-  
mis Sancti Bernardi monitis, nunc adjicienda, quæ in præ-  
senti Cap. 2. ad Eugenium Pontificem direxit, sunt autem quæ sequuntur.*

### SECTIO SECUNDA

*Præes & singulariter, ad quid numquid ut de subditis cre-  
scas? Nequaquam, sed ut ipsi de te. Principem te consili-  
tuerunt: sed sibi, non tibi; alioquin quo paulo te reputas  
Superiorem his, a quibus beneficium mendicas? Audi Do-  
minum: Qui potestatem habent super eos benefici vocan-  
tur. At istud de his qui foris sunt. Quid ad nos! Tu  
id mendaciter diceris; si non tam beneficus esse, quam  
beneficiis præesse intendis.*

**Q**ui verè beneficus est, nihil ultra requirit, quam  
beneficium impendere, nec verè dici potest bene-  
ficus, qui simul, & semel non est benevolus; quod  
si verè benevolus, certè proprium non intendit lucrum,  
quasi aliis conferendo beneficium, sibi velit ferere incre-  
men-

mentum, sed in sola benevolentia, quam tenetur rependere erga beneficium, qui beneficio est cumulatus, totum reponit beneficii fructum. Ita est, verè beneficus est simul, & semel benevolus: benevolo nil carius ipsa benevolentia, quā & benevolus nominatur, & beneficus est; Denique benevolentia, solus esse debet fructus beneficii gratiosè collati, nisi forte quis se beneficum putet, quòd in spe recipiendi seruerit beneficium, aut timore dimiserit: sed quis non videat hoc relictum, illud venditum, neutrum datum; beneficium nequit nuncupari, vel coacte dimissum, vel in spe mutuae receptionis concessum. Opportet enim beneficium esse omnino gratuitum. Danti ex sola beneficiandi voluntate, rependi quidquam gratosius ab accipiente non potest, quām si gratum habuerit, quod gratis accepit, & hæc benevolentia creatur de benevolentia dantis in animo recipientis. Non sic porro, non sic potest contingere, ubi beneficus, in collatione beneficii, plus respicit proprium lucrum, quām alienum; profecto, qui animo recipiendi, beneficium largitur, nequaquam dici debet beneficus, sed beneficiorum negotiator: dedecent omnes, sed præcipue Principes hujusmodi sensus. Principes enim, qui Dei imagines sunt in terris, à Deo constituti sunt, ut beneficia subditis impertiantur, ita tamen, ut in beneficiorum exhibitione, splendidam Altissimi beneficentiam æmulentur, qui omnino gratuita sua largitur beneficia, & beneficus esse nescit, nisi simul, & semel appareat benevolus, semper benevolus, quia semper beneficus. *Qui potestatem habent benefici vocantur;* omnes itaque sensus eorum, qui præfunt, ad hoc collimare debent, ut erga subditos suos se probent beneficos, siquidem juxta mensuram beneficiorum, quæ conferunt, suam quodammodo augere videntur potestatem: *qui potestatem habent benefici vocantur.* Quòd si Princeps in beneficiorum collatione sit parcus, utique minorem benevolentiae retributionem à suis subditis recipiet: Undè quodammodo derogare videtur sui Principatus amplitudini; ille enim verè, & cum magnificentia principatur,

patur, qui subditorum corda possidet, non qui eorum substantiis inhiat: corda autem subditorum possidere nequam potest, qui non studet esse beneficus; juxta enim mensuram beneficiorum, quæ conferuntur, certum est subditos, erga suos Principes, amorem rependere. Mendaciter dicuntur Superiores, qui non tam benefici esse, quam beneficiis præesse intendunt. Hujusmodi autem sensuum nunc temporis summa experitur inopia: Ut plurimum plus beneficiis præesse studemus, quam apparere benefici.

### S E C T I O T E R T I A

*Parvi, dejectique animi est, de subditis non profectum quaerere subditorum, sed quæstum proprium. In summo præsertim omnium Pontifice, nihil turpius.*

**D**ejectus, qui in plebe levioris censentur esse momenti, graviores apparent in Principe. Quo major est honoris dignitas, eò major est oneris gravitas. Quia superior subditis præminet dignitate, tanto magis cæteris prælucere tenetur professione virtutum. Turpe est quocumque in homine vitiis succumbere, sed longè turpius est in Superiori vitiis coquinari: privatis in hominibus vitia vix observantur: In dignitate constitutis, facilius discernuntur, & fiunt aliis incitamenta ad peccandum. Sublimem animum exigit dignitatis sublimitas; *parvi, dejectique animi est, de subditis non profectum quaerere subditorum, sed quæstum proprium.* Inter cætera singularis primatus insignia, coruscat eripere pauperem de manu fortiorum ejus: *Non quæ vestra sunt, sed vos quæro,* dicebat Apostolus, instruens his verbis, quotquot præsunt, ut non quæstum proprium quærant, sed profectum subditorum.

S E-

## S E C T I O Q U A R T A

*Quàm pulchrè magister gentium , parentes filiis , non filios  
debere censuit thesaurizare parentibus . Non mediocris  
gloriæ vox illa identidem ipsius : Non requiro datum , sed  
fructum .*

**T**inam inter Prælatos non sit invenire , qui thesauri-  
zantes , nesciunt cui congregaverint ea , quia in quæ-  
stum proprium convertunt , quæ erogare debuerant in sub-  
ditorum profectum . Utique in Episcopo nihil turpius , quàm  
de subditis *non profectum querere subditorum , sed proprium ; Non filii parentibus , sed parentes filiis thesauriza-*  
*re tenentur :* si in hoc sensu abundarent plures Præsules ,  
procliviores essent ad infligendas salutares pœnitentias , quàm  
pecuniarias mulætas , quas convertentes in proprium quæ-  
stum , quodammodo filios suos cogunt thesaurizare paren-  
tibus ; quapropter peccantibus subditis , avidius cogitant ,  
de pœna infligenda , quàm de vitio emendando , *requiri-*  
*rentes datum , non fructum :* Certè quotquot sic se gerunt ,  
non thesaurizant filiis , sed sibi . Proindè avaritia eos do-  
cuit comedere peccata subditorum , non emendare .

## S E C T I O Q U I N T A

*At jam transeamus ex hinc , ne quis moram in his meam ,  
avaritiæ in te notam interpretetur , quæ quàm longe sit  
à te , in libro secundo testatus sum , sciens quanta , & in  
quanta tua necessitate respueris .*

**I**N necessitate constitutum , etiam sponte oblata respuere ,  
evidens est argumentum animi , ab avaritiæ vitio omni-  
no immunis . Inter cæteras laudes , quibus juremerito à  
D. Bernardo commendatur Eugenius , non mediocris est  
illa , quæ eumdem prædicat ab avaritia alienum : Hoc enim  
est vitium , quod insidiare solet Ecclesiasticorum calcaneo ,  
quo-

quorum perplurium vita, ferè Sanctorum fastis potuisset co-  
æquari, si ab avaritiæ vitio coquinata non apparueret; facile invenire est plures Episcopos castos, sobrios, orna-  
tos, pudicos, continentes, amplectentes eum, qui secun-  
dum doctrinam est fidelem sermonem, hospitales, docto-  
res; sed utinam non sit reperire avaritiæ addictos, qui  
proinde turpe lucrum sectantes, in proprium quæstum con-  
vertunt substantias subditorum.

Procul absit à Clero auri sacra fames, & aurea spe-  
rabimus sæcula. Curritur in Clero passim ab omni ætate,  
& ordine, à doctis pariter, & indoctis ad Ecclesiasticas  
curas, non stimulo, & amore inserviendi Ecclesiæ, sed si-  
bi; non animo quærendi animarum profectum, sed mar-  
supii augmentum; laboriosis itineribus proinde Transalpini,  
& Itali, Romanum statuunt frequentare palatum, quæstu-  
fas sibi exinde comparaturi amicitias, quibus valeant di-  
gniores Cathedras, & opulentiora obtinere beneficia, quo-  
rum proventus facere valeant quæstum proprium, quos  
Deus destinaveit in profectum subditorum. O' infatiabi-  
lis avaritia Ecclesiasticorum, quæ sub specioso titulo infer-  
viendi Ecclesiæ, proprio insudat augmento; Ecclesiasticas  
fusciplens curas, tamquam sive curis jam vieturus sit, qui  
ad curas pervenerit; O' infatibilis avaritia, ex qua ferè  
omnia damna in domo Dei originantur; ubi, ubi est illa  
tetrifica comminatio: *Isaiæ 5. 8. Veb' qui conjungitis do-  
mum, ad domum, & agrum, agro copulatis.* Numquid in  
his dumtaxat veh! Istud metuendum est, non autem, cum  
stimulante avaritia, beneficia beneficiis copulantur ab Eccle-  
siasticis: Nudè nuda loquor, nec retego verenda, sed in-  
verenda confuto: at numquid sic satiabitur eorum avari-  
tia, qui pinguioribus adeptis beneficiis, ab urbe discedunt  
plus onerati, quam ornati; utinam vel sic possent expli-  
ri. Vix patrios attingunt lares, & novum vacare intelligunt  
beneficium, jam obtento opulentius, cum iterum statim Ro-  
manam repetunt muneribus onus, ut novo beneficio rever-  
tere possint onerati; ex cuius redditibus ditiores effecti,  
dete-

deteriores evadunt, aurum super aurum cumulantes, addunt simul, & semel peccata peccatis; sed hujusmodi Ecclesiasticis, quorum dominia est avaritia, si ut par esset, saperet solus Deus omnium Dominus, non adeò saperet terrena substantia. Auro inhians est sicut hidropicus, quanto plus bibit, tanto plus sitit: Ita ille quanto plus acquirit, tanto plus concupiscit; & quod plura possidet, pluribus eget; quamquam nil minus habeat, quam quod habere se putat; sed tandem in avaros retorquet divina iustitia; res ipsas, quas amant, in eorum tormenta convertens. Eadem enim pecunia, quæ pauperibus erogata misericordem justificat, & amplius ditat dispensantem, avarum cruciat servata, sicut & prodigum poluit profligata. Quam turpis in omnibus, sed præcipue in Ecclesiastico est avaritia. Non solum autem Ecclesiasticis Sæcularibus, sed & Regularibus insidias tendit, ita ut etiam Monachos aliquando sit invenire, non sine magno scandalo, hoc vitio coinquinatos, quippe qui Monasteriorum proventibus præfecti, quodammodo timere vidente, ne ad pauperum angustias redigantur; cum tamen sint paupertatem professi, & postquam sæculi renunciarunt possessionibus, nihilominus implicantur avarorum moribus; eadem cupiditate servantes pauperes supelleciles, quæ custodiunt avari thesauros; nil minus avidi desiderio in claustro, quam esse possit avarus in sæculo; In hoc solum fortè magis despicabiles, quod eadem cupiditate laborant in servandis valis fictilibus, quæ avarus fatigatur in custodiendis thesauris; profecto turpis avaritia in Sæculari, turpior appetet in Ecclesiastico, turpissimè radices figit in Monacho, sed in Episcopo nihil turpius.

## S E C T I O S E X T A

*Ad te proinde scripserim ista, non propter te; nempe quod tibi scribitur, soli prodesse non decet.*

To. II.

I

Au-

**A**urea monita , quæ in his de Consideratione libris S. Bernardus ad Eugenium direxit , omnes afficere , satis constat ex præsentibus verbis : *Ad te proinde scripsimus ista , non propter te , nempè quod tibi scribitur , soli professe non decet ;* undè apertè colligitur ; quam rationabili- ter , passim in hoc opere , eadem monita ad alios , pro suo mu- nere erudiendos , extendimus ; ex quo etiam manifestè pa- tet , quòd S. Bernardus , dum in his libris contra vitia in- vehitur , Summum Pontificem perstringere non intendit , & incusare , quasi vitiis obnoxium , de quibus sermonem instituit ; sed commonere ut , sua quæ pollet auctoritate fre- tus , evellat vitia , quæ in Clero pullulantia discernit .

### S E C T I O   S E P T I M A

*Hic locus avaritiam carpit , à quo vitio immunis satis tua opinio est , an ē opus , tu videris .*

**A**b avaritia vitio Eugenium vixisse immunem , commu- nis erat omnium sensus ; nihilominus Procerum Cu- riæ avaritiam , ibi perstringit S. Bernardus , non enim propter Pontificem , sed ad eundem , de hoc vitio comminuen- do , sermonem instituerat ; Ad quid enim propter Eugenium de hoc vitio scribere , si ab eodem , in omnium opinione , Sanctus Ponifex vivebat alienus . Scriptit nihilominus de avaritia ad Eugenium , quia non sufficit in bona opinio- ne hominum vivere , nisi & opera justificata sint apud Deum , qui cum sit scrutator cordium , etiam improbos esse discernit plures eorum , quos opinio hominum tam- quam probos commendat ; plura sæpè operamur , quæ à recto fine non ducta , à sinistra intentione vitiata , licet per se appareant laudabilia , apud Deum condemnantur ; Non ergo sufficit quòd justi vivamus in opinione hominum , nisi & opera apud Altissimum , qui justicias judicat , justifi- cata appareant ; hujus justificationis defectu fortè plurium animas , quas credimus glorificatas in cælis , in extremo ju- dicio

dicio videbimus crucias in inferis ; hujus iustificationis defectu quot claustrales non reddunt Domino votum paupertatis ut debent , quoniam quæ non nisi ad usum habent , cum amore possident , & ea quæ minimè habent , ex desiderio querunt . In voto paupertatis reddendo , plus Deus computat affectum , quam censem : nec sufficit Regulares in opinione hominum pauperes vivere , nisi etiam se tales exhibeant in opere : etiam pauperes avaritia carpit , quandocumque hi se exhibent æquè solliciti , & anxi in desiderio , & custodia vasis factilis , quam possit esse avarus in servandis cumulatis pecuniis .

## S E C T I O   O C T A V A

*Vidimus tamen (ut oblata à pauperibus taceam , quæ tangere non acquiescis) germanicos detumuisse saccos , sed prætio non massà . Argentum reputatum est fænum : sagmarii non levati sarcinis , onus nihilominus repatriant vel inviti . Nova res , quando hacenus aurum Roma refudit ? Et nunc Romanorum consilio id usurpatum non credimus Òc.*

**A**D hujus sectionis intelligentiam , quædam occurunt prænotanda . Et primo quid sub nomine *Sagmarii* veniat , discutiendum . Sagmarii dicuntur onerum bajulatores , & etiam jumenta ad onera ferenda destinata . Hinc æquus Sagmarius , mula Sagmaria ; querendum etiam , qui nam sint , de quibus hic sermonem instituit S. Bernardus dicens . Duo venerunt ambo locupletes , unus Moguntinus , Coloniensis alter , uni quorum asserit gratiam fuisse à Santa Sede gratis redditam , alteri , utpotè gratiæ indigno , negatam . Moguntinum itaque , citrè dubium est , fuisse Henricum , circa annum 1150 . Moguntiae Archiepiscopum electum . Hic suorum Canonicorum gravatus calumniis , Sedis Apostolicæ patrocinium implorans , fuit absolutus , sed cum hoc agrè ferrent Canonici , qui alium peroptabant in

Archiepiscopum , corruptis pecuniâ Legatis Apostolicis , ut voti sui compotes essent , tandem obtinuerunt , ut item deponeretur : quod anno 1153. contigisse , constat ex historia Archiepiscoporum Moguntinensium , à Conrado conscripta . Hujus Henrici causam defendendam assumpsisse , Sanctum Bernardum , probat Epistola 302. ad Apostolicæ Sedis Legatos directa . Optatum tamen non reportavit D. Bernardi epistola exitum ; quandoquidem Henricus ad Romanum Pontificem , ad quem etiam se contulit , appellavit . Fuerat etiam circâ illa tempora de Simonia accusatus Archiepiscopus Coloniensis , nomine Andreas , jam ab anno 1138. ex Præposito S. Andreæ , ad Coloniensem Sedem assumptus , à quâ depositum fuisse fertur , ob probatum Simoniæ crimen . Ambo itaque præfati Archiepiscopi , ut reconciliationis gratiam obtinerent , prætiosis onusti muneribus , Romam venerunt , ambo locupletes , ambo rei . Moguntinensis ob suam simplicitatem , videbatur quodammodo à reatu excusandus , & dignus , qui veniam obtinebat ; Coloniensis verò , à manifesta gravatus malitia , indulgentiæ Apostolice aditum excludebat ; utriusque causa , coram Pontifice Eugenio , fuit discussa , Moguntino gratia gratis reddita est , Coloniensis verò judicatus fuit indignus , cui gratia redderetur . Ab oblatis muneribus ( Venerant enim cum Sagmariis ) suas manus servavit innoxias Eugenius , ab avaritia alienus , eorum argentum reputatum est tamquam fænum , repatriant ambo Archiepiscopi cum Sagmariis onustis , non levatis Sarcinis , sed Coloniensis , qui à primordiis suæ assumptionis ad Cathedram , Archiepiscopatum emerat , & rursus , empturus post depositionem , copiosa munera detulerat , ut suam tentaret sortem , munera Romanis proceribus obtulit , quapropter non omnia , quæ tulerat retulit . Hinc de eodem scribit S. Bernardus : *Quid ille de transmarinis partibus , pœnè à finibus terræ , terra , & mari currens , pro Episcopatu suis , & alienis facultatibus rursus emendo , jam enim emerat prius . Tulit multa , sed retulit , non omnia tamen ; Incidit miser in-*  
ma-

*manus alias accipere , quām dare promptiores . Benē fecisti , tuas in utroque servans innoxias , mammonæ non acquiescens . Nova res visa est , quod munera Romam delata , Roma non acciperet , quando habētūs aurum Roma refudit . Nunquam in Curiā desunt , qui inhiant muneribus , & manus habent accipere , quām dare promptiores . Sed etiam plures ibidem venerantur , qui omnino à muneribus suas manus servant innoxias : in illorum manus incidit Coloniensis , qui proinde suo frustratus desiderio , licet plura tulisset , non omnia retulit , & patrios lares repetere fuit coactus , absque reconciliatione , quam empturus venerat ; diminutis tamen prætiosis , quæ tulerat , muneribus . Certè , pro bono Ecclesiæ , nunquam satis cautum à Pontificibus , ut Romani proceres à muneribus abstineant ; Quando aurum Roma refudit ? Hinc plura in Ecclesia scandalæ , quæ Ecclesiasticæ disciplinæ rigorem enervant . Curiæ mos erat , etiam temporibus D. Bernardi , diligere munera , quapropter S. Doctor in præsenti capite sic scribit : De tuo sa-  
culo consultum est verecundiæ viri , sic quoque Curiæ mo-  
rem gerens tuo beneficio , invidiam declinavit eorum , qui di-  
ligunt munera , dans quod daret , ne immunificus notaretur ,  
acepit clam , quod palam dedit . Ex præfatis S. Bernardi  
senibus constat , non absque fundamento à nobis superius  
dictum , morem fuisse Curialium diligere munera ; sed ex  
eo quod legitur , Eugenium pauperi Episcopo , qui pro gra-  
tiâ obtainenda Romam venerat , dedisse quod daret , ne  
immunificus notaretur , etiam colligitur receptionem mu-  
nerum non esse omnino improbandam , cum recipiuntur  
post discussam causam , post prolatam sententiam . Quan-  
doquidem Eugenius pauperi Episcopo clam dedit , quod  
palam daret , ne immunificus notaretur . Munera , cum li-  
citè recipiuntur , palam sunt accipienda ; clam accepit , quod  
palam daret . Munera post prolatam sententiam oblata ,  
cum locum habeant gratiosæ retributionis , palam recipi pos-  
sunt . Et sicut omnino sunt improbanda , sive clam , sive  
palam recepta ante sententiam , licitè admittuntur post cau-  
sam*

sam discussam ; quod si tunc compatibilia non essent , & acceptari non possent , utique Eugenius , qui adeò commendatur à D. Bernardo ab acceptance munorum alienus , pauperi Episcopo clam non dedisset , quod palam daret , ne immunificus notaretur : Nunquam satis laudandus eorum sensus , qui nec antè , nec post collatum beneficium , munera accipiunt , qui semper à muniberis suas servant manus innoxias ; nihilominus oblato beneficio , acceptio munorum , non omnino improbanda ; sed quām commendabilis sit omnimoda abstinentia à muniberis , constabit ex his , quæ libro quarto , capite quinto , dicenda occurrent . Certum est , quod munorum amor excæcat Judicum oculos . Qui diligunt munera , non sequuntur justitiae causam , sed retributionem ; qui facilis est ad extendendas manus suas ad munera , difficile est , quod non lavet manus suas in sanguine peccatoris .

## C A P U T Q U A R T U M

### S Y N O P S I S .

*Plura , & perardua in hoc capite perstringit S. Doctor , quæ si quis seria consideratione velit percurrere , & circa eadem recurrentes difficultates discutere , opus utique esset integros tractatus absolvere . Multiplices esse in Ecclesiastica Hierarchia ordinum gradus , ac dignitatum perspicuum est , quos non esse temerè confundendos , & perturbandos monet S. Bernardus , & occasione arreptâ agit de exemptionibus , & dispensationibus , de quibus quid sentiat , ex præsenti capite colligitur , ubi mala ab exemptionibus pullulantia expendit ; ex quibus gravia in Ecclesia scandala originari deplorat ; quapropter inflat pro bono regimine , summo studio servandam esse in Ecclesia subordinationem inter Ecclesiasticas potestates , & è magis , quod non sola potestas Apostolica est à Christo instituta , quod probat exemplo Hierarchiæ Cœlestis , ubi*

An-

*Angeli subordinantur Archangelis, Archangeli Tronis, & sic successivè usque ad ultimum Chorum, qui demum omnes uni Deo subordinantur: Nihil tamen vetat, quod ubi necessitas urget, possit Summus Pontifex à consueta subordinatione dispensare, itaut aliquas Paræcias, Abbatias, Episcopatus, vel etiam personas Ecclesiasticas dispenset, sibi esse immediate subjectas: quod etiam ex voluntate Fundatorum, annuente Apostolica Sede, circa Abbatias, & Episcopatus alicubi contigisse non ignoramus. Dum verò Sanctus Doctor adeò districtè subordinationem servandam esse monet, non contra dispensationem, sed contra dissipacionem calamum acuit, Summosque Pontifices, & in eis omnes Principes instruit, ut quæ pro bono regimine agenda sunt, ex sola ratione, non ex potestate disponant.*

## S E C T I O P R I M A

*Audi aliud, si tamen aliud. Ad idem enim fortassis pertinere, quis dicat. Tua consideratio viderit hoc. Mibi videtur non longè à vero dissentire, qui id forte inter avaritiae species locandum putaverit &c.*

**P**ropriè conscientiæ, æquè ac famæ, & bonæ opinioni prospicere tenentur omnes, sed illi potissimum, qui ceteris præsunt, siquidem sapientibus æquè, ac insipientibus facti debitores, cum recta ratione, suas ità debent librare actiones, ut & conscientiæ suæ provideant, & bonæ opinioni: plura, quæ per se licent, non semper expedient, quia quatenus licita, quamvis non sint contra conscientiam; quia non expedient, sunt contra famam, & bonam opinionem; & sicut conscientia non est negligenda amore famæ, ità nec famæ semper providetur fiducia conscientiæ. Ad omnes pertinet, quod scriptum est: *ad Rom. 12. Providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus;* ideoque sicut nemo est, qui suam conscientiam possit negligere amore famæ, ità neque, qui famam

mam negligere valeat fiducia conscientiæ; nam & de ipsa conscientia, quomodo quis sibi blandiri potest, nisi sine quærela sit inter fratres; non enim sitis est Prælatum, non scandalizare subditum, imo scandalizat si non ædificat, si testimonium non habet intus, & foris, quantum ad gradum suum spectat, Deum ubique glorificans; itaut in omnibus operibus suis, & famæ consulat, & conscientiæ. Quod si malis, quibus non placet nisi malum, quibus justus gravis est etiam ad videndum, Superiorum placere non sinit, non Superioris malitia, sed malorum nequitia, qui semper retribuunt mala pro bonis, & odium pro dilectione, tunc Superiorum consolatur ille qui ait: *Luc. 6. Beati eritis cum vos oderint homines.* Ad hoc semper eniti debent, qui præfunt, ut non vincantur à malis, sed vincant in bono malum; quòd tunc proculdubio continget, cum in omnibus operibus suis providere studebunt, & conscientiæ, & famæ, ita tamen ut eorum bona opera sint in publico, quatenus eorum intentio maneat in occulto. Quòd si tenentur singuli, & præcipue qui præfunt, & famæ providere, & conscientiæ; quid sentendum de illis, qui conscientiam negligunt, & opinionem; qui præpositi subditis, fiunt cum subditis ad vitia proclives. Certè si fiat Sacerdos sicut populus, licentius populus fiet sicut Sacerdos; utique si Prælati mundanis illecebris se conformant, qui in mundo sunt, errorem suum, Prælatorum satis versutè, & nimis vero tuebuntur exemplo: Mutuis ad vitia se se aut informabunt, aut fovebunt exemplis, Pastores, & populi, Sæculares, & Religiosi. Promptuaria plena erunt, qui hujusmodi sunt, erustantia ex hoc in illud, aut turpis, aut tepidæ conversationis spiritum pestilentem, ex quo conscientia simul, & fama maculabuntur. *Sane interēt omnibus, & malas res, & malas pariter species devitare, ut in altero conscientiæ suæ consulant, in altero famæ.* Quomodo autem famæ consulere valeant, qui pravo præfunt exemplo. *Quisquis est in prælatitia dignitate constitutus, putare debet sibi non*  
li-

licere, (*& si alias fortasse liceat*) quidquid malè fuerit coloratum. Quomodo ergo licere poterit, quod apertè constat esse depravatum: *ad Theſſalon.* *Ab omni ſpecie mali abſtineſte vos*, ait Apoſtolum, quanto magis ab omni opere malo opus eſt præcavere, eum præcipue, qui à Deo conſtitutus eſt ut cæteris præſit. Oportet Præſulem eſſe forte in fide, quod idem eſt ac dicere, bonis intentum operibus; Fides enim ſine operibus mortua cenſetur, *decorum in gloria*, itaut ſemper ſtudeat, ne ſit in ejus forma nævus mala ſpeciei, ſemper conſiderans, neque ſibi licere, (& si alias fortasse) quidquid malè fuerit coloratum. Utique, *malè coloratus* eſt quorundam Prælatorum luxus, qui ſub ſpecioso prætextu ſervandi ſuæ dignitatis decorem, in expenſis patiuntur excessum, & quod impendere deberent pauperum fuſtentationi, ſuæ faciunt ambitionis alimentum. *Malè coloratus* eſt aliorum labor in vinea Domini, qui ſuis in Evangelicis fidoribus, ſolum conversionis animarum fervorem oſtentantes, non tam querunt vinearum incremen-tum, quam quod à ſuis laboribus eruere poſſunt mercenariorum emolumentum; *malè colorata* eſt illorum pietas, qui vivunt apparenter toti pietatis operibus addicti, & nihil minus quam pietatem intendunt, ex hinc ſoliuſ vanitatis bonarum famarum, & opinionis externarum facti venatores, qua captiā præda, poſtimodum valeant alicujus Ecclesiasticæ dignitatis dividere ſpolia. *Malè colorata* eſt quorundam regularium obſervantia, qui non à studio virtutis, ſed à ſtimulo vanitatis excitati, exacti apparent ſui instituti æmulatores, omnibus ſe ſubmissos exhibent, ut tandem præeffe, & ad Prælatitias dignitates ſublimari contingat. Nemini licet, & si alias forte liceat, quidquid malè fuerit coloratum. Spirituales conuentiæ, quæ inter Religiosos, & Sæculares in confabulationes declinant, & plusquam par fit protrahuntur, *malè ſunt coloratae*. Sub titulo urbanitatis, frequentiores quædam viſitationes, quæ immoderati affectus ſunt incentivum *malè ſunt coloratae*; Aliquando ſatiuſ urbanitati deficere, quam in hac abundare; quæcumque malè ſunt

sunt colorata, malas ingerunt species: profectò non modò malas res, sed etiam malas species interest devitare, & ab omni specie mala debet abstinere, quisquis decorem, quisquis vestimenta gloriae induere satagit, & vestiri duplicitibus: Prov. 31. *Quibus fortis illa mulier induere consuevit:* non habeat in conscientia nutantem infirmitatem modicæ fidei, non habeat in fama nœvum malæ speciei.

### SECTIO SECUNDA

*Miraris quorundam hæc, ignarus usque adhuc quid dicere velim, non te tollo diutius; murmur loquor, & querimoniam Ecclesiarum: truncari se clamitant, ac demembrari, vel nullæ vel pauce admodum sunt, quæ plagam istam aut non doleant, aut non timeant, queris quam? subtrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis: Bona ne species hæc, mirum si excusari queat, vel opus.*

**P**ositi sunt Superiores unicuique servare jus suum, omnibus in operibus suis bonam de se speciem excitare, quod assequentur, si semper studeant bonis meliora præponere, & exequi; at ubi non modò bonis meliora non præponerent, sed ea facere aggrediantur, quæ à malo excusari nequeunt, unde murmur, & querimonia suos inter subditos excitatur, quomodo bonam poterunt de se speciem ingerere.

### SECTIO TERTIA

*Sic facilitando, probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed iustitiae forte non ita.*

**N**on omnia, quæ ex sola plenitudine potestatis operantur, justa sunt. Decet Principem implere omnem iustitiam, quandoquidem etiam hujus implemento Christus ipse

ipse se debitorem professus est ; Implet omnem justitiam , qui non modò justitiam tenet , sed diligit : *Diligite justitiam , qui judicatis terram :* parum est justitiam tenere , nisi & diligas ; qui tenent timent , qui diligunt zelantur ; amator justitiae inquirit justitiam , & prosequitur eam ; profectò deficit ab hoc sensu , qui operatur ex solius plenitudine potestatis : summum jus summa injuria ; qui explenario jure operatur , sic factitando probat quidem se habere plenitudinem potestatis , sed justitiae fortè non ita . Plenitudinem Pontificiae potestatis , quam Christus suo commisit in terris Vicario , Petro scilicet , ejusque successoribus , certum est non esse sub cælis , qui infirmare valeat , cum nec ipse Pontifex , suæ possit summae potestatis plenitudini cedere : at verò summam potestatem habenti , id facere laus est quod decet , non quod libet . Cum itaque dicatur quòd Papa omnia potest , credere debet sola sibi licere laudanda . Quod vero ex justitia non licet , nec per potestatem , quæcumque illa sit , licere posse certum est ; ex quo sequitur quòd , qui ex sola potestate agit , sic factitando , probat quidem se habere plenitudinem potestatis sed justitiae fortè non ita . Plenitudo potestatis à plenitudine justitiae nunquam debet esse se juncta .

### S E C T I O Q U A R T A

*Facitis hoc quia potestis , sed utrum , & debeatis questio est .*  
*Honorum , ac dignitatum gradus , & ordines , quibusque*  
*suos servare positi estis , non invidere : ut quidam vestro-*  
*rum ait : Ad Rom. 13. Cui honorem , honorem . Spi-*  
*ritualis homo ille , qui omnia dijudicat , ut ipse à nemine*  
*dijudicetur , omne opus suum tria quadam consideratione*  
*præveniet . Primum quidem an liceat , deinde an deceat ,*  
*postremò an expediat . Nam et si constet , in Christiana uti-*  
*que philosophia , non decere nisi quod licet ; non expedire*  
*nisi quod decet , & licet ; non continuò tamen omne quod*  
*licet , decere , aut expedire consequens erit .*

**U**T rationabiliter, & laudabiliter homo agat quod agit, tria consideratione expedit opus suum prævenire, *an liceat, an deceat, an expediat*. Plura sæpè licent, quæ tamen, attentis temporum circumstantiis, non semper expediunt; item plura licent, quæ semper non decent. Non decet autem, nisi quod licet: omne autem quod licet, non semper decet, aut expedit; quidquid verò rationabiliter expedit, semper licet, & decet. Aptemus tria hæc operi. Licet Principi contra inimicum, sua jura perturbantem, armis impugnare, imò decet Principem sua jura defendere, sed quia perhibet, suæ perturbatorem quietis, esse fortiorum se, & excitato bello, majora posse subditis damna imminere, quantumvis liceat vim vi repellere, non expedit tamen; & satius est aliquando cedendo juri suo vexationem redimere, ut majora quæ ex bello oriri possunt damna, & sibi, & subditis suis devitet, quām periculo se exponere potiori jure expoliari. Licet Pastori Ecclesiastico, qui ad sui vigilat custodiam gregis, errantem ovem, non modò charitativæ admonitionis verbo, ad ovile evocare, sed relutantem, etiam virga Canonicarum afflictionum reducere; quia tamen prævidet adhibitum pro tunc remedium, majora posse damna excitare, expedit aliquando, & consonum est prudentiæ dictamini, præstolari cum silentio salutare Dei, ex quo manifestum est, quòd non omnia, quæ licent, semper expediunt. Quod autem plura, quæ licent non semper deceant, etiam manifestum fiet, si hoc operi aptemus.

### S E C T I O Q U I N T A

*Age, aptemus, si possumus, tria hæc operi huic. At quomodo non indecens tibi, voluntate pro lege uti: & quia non est ad quem appelleris, potestatem exercere, negligere rationem: Tu ne major Domino tuo, qui ait: Non veni facere voluntatem meam: & non veni legem solvere, sed implere.*

Irra-

**I**rrationabiliter operatur quisquis in operibus suis ad solam potestatem, non ad rationem attendit: in tirannide potestas declinat, cum sine ratione exercetur. Aliquid facere, præcisè quia possumus, non præmissa consideratione utrum & debeamus, idem est ac voluntate uti pro lege: exultat justitia, ubi stat pro sola ratione voluntas; nemini licitum velle omnia, quæ potest: rationalis homo ea solum velle debet, non quæ potest, sed quæ rectæ rationi sunt consona.

## S E C T I O   S E X T A

*Quamquam non minus dejecti, quam elati animi est, veluti rationis expertem, non pro ratione, sed pro libitu agere: nec judicio agi, sed appetitu. Quid tam bestiale? Et si indignum cuivis utenti ratione, vivere ut pecus: quis in te rectore omnium, tantam contumeliam naturæ, injuriam honoris ferat? Sic degenerando (quod abſit) generale opprobrium fecisti proprium tibi: Homo cum in honore effet, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.*

**I**ndignum omnibus, sed illis maximè, qui ad regendos subditos sunt à Deo selecti, non pro ratione, sed pro libitu agere: quò quis cæteris præminet, eò in humanis sensibus debet abundare. Homo in honore constitutus, agi debet judicio, quod si agitur appetitu, vivit ut pecus, non sine magna suæ dignitatis injuria, meritò jumentis insipientibus comparandus; sed quis ferre valeat tantam contumeliam naturæ, injuriam honoris in Principe, ut generale opprobrium sibi proprium faciat, ita ut non pro ratione, sed pro libitu agens, similis fiat jumentis insipientibus.

## SECTIO SEPTIMA

*Quid item tam indignum tibi, quam ut totum tenens, non sis contentus toto, nisi minutias quasdam, atque exiguae portiones ipsius tibi creditæ universitatis, tanquam non sint tuæ, satagas nescio quomodo adhuc facere tuas? Ubi etiam meminisse te volo parabolæ Nathan; de homine, qui multas oves habens, unam quæ erat pauperis, concupivit. Huc quoque veniat factum, imò facinus Regis Achab: qui rerum summam tenebat, & unam vineam affectavit. Avertat Deus à te, quod ille audivit: Occidisti, & posse disti.*

**I**Nsatiabilis est humana cupiditas, quò plura possidet, mājora desiderat; quamvis copiosis abundet terrenis facultatibus, quibus potest ad saturitatem se ingurgitare, satiari haudquaque posse arbitratur, nisi & minimis inhiet: multis possidebat oves cupidus ille, de quo secundò regum profertur parabola; nihilominus unam, quæ pauperis erat, concupivit, ut poneret mensam. Copiosas tenebat divitias Achab, atque possessiones, & unam adhuc parvulam vineam affectavit. Aptemus si possumus hoc, nostrorum temporum corruptelis. Quantos est reperire, qui pro sua conditio-ne, & statu, sufficientibus, imò superabundantibus à Deo cumulati divitiis, nihilominus etiam substantias pauperum possidere contendunt. Meminerint, qui hujusmodi sunt, parabolæ Nathan, meminerint facti Regis Achab, & certè sciant se aliquando audituros. *Occidisti, & possedisti.* Similem exprobrationem sustinebunt, qui in aliquo regimine constituti, concessam sibi auctoritatem vertunt in subditorum perniciem, non pro ratione, sed pro libitu agentes. Avertat Deus ab omnibus, qui sive in Regno, sive in Sacerdotio constituti sunt ad præsidendum hominibus, ne in extrema discutione audire illis contingat, quod audivit Achab, *Occidisti, & possedisti.*

## S E C T I O O C T A V A

*Nolo autem prætendas mibi fructum emancipationis illius: nullus est enim, nisi quod inde Episcopi insolentiores, Monachi etiam dissolutores sunt. Quid, quid & pauperiores? Inspice diligentius, talium ubique libertorum, & facultates, & vitas; si non pudenda admodum, & tenuitas in his, & in illis secularitas invenitur. Matris noxiæ libertatis gemina soboles hæc &c.*

**R**ecurrebant passim, D. Bernardi temporibus, ad Apostolicam Sedem Episcopi, & Abbates ut libertatem, emancipationis obtinerent, & à subjectione, quam debebant Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis redderentur immunes, ut Summo Pontifici fierent immediatè subiecti, itaut nonnisi ad Christi Vicarium appellari possent, pro quacumque occurrentium decisione causarum: quòd privilegio cumulati Abbates, vel Episcopi, incrementum haud quaquam consequebantur Ecclesiæ, eorum curæ commissæ, sed non modicum patiebantur detrimentum; ex obtentis enim emancipationibus, Dioecesani insolentiores, relaxatores Monachi videbantur; nam si contingebat Abbates in suo munere, vel Episcopos à debito deflectere officio, cum non possent statim, vel Abbas ab Episcopo, vel Episcopus ab Archiepiscopo emendari, licentius peccabant Abbates, & Episcopi, ipsisque peccantibus, licentius delinquebant eorum respectivè subditi, nempè Dioecesani, & Monachi. Aliqui fuerunt Romani Pontifices, ad concedenda emancipationis privilegia proclives, siquidem ex emancipatione videbatur quodammodo ampliari Pontifica potestas. Licet utique Summo Pontifici, ex plenaria sua potestate, hujnsmodi emancipationes concedere, quæ tamen non semper expediunt, tunc maximè, cum ex præfatis emancipationibus, scandalia oriri posse prævidentur: hucque collimant, quos S. Bernardus in præsenti Capite exprimit sensus, recolens parabolam Nathan, & facinus Achab, concludens:

Occi-

*Occidisti, & possedisti:* Adeo verum est non semper expeditre quæ licent, juxta quod scriptum est: *Il. ad Cor. 10.* *Omnia mihi licent, sed non omnia expedient:* Non facile adduci debet, qui præest, tamquam licitum credere, quod illicita parturit, sicut sæpè contingit in casu de exemptionibus, quæ ut plurimum Ecclesiasticam disciplinam enervare, & Ecclesiasticos proventus dissipare posse previdentur, quoniam ex his, & in patrimonio pudenda tenuitas, & in Ecclesiastico sæcularitas non raro originatur; quam pudendam tenuitatem in patrimonio monastico invaluisse, ex quo commendata fuerunt monasteria, heu nimium? adhuc in præfens lacrimantur Ordines Regulares. An autem & sæcularitatem in pluribus Ecclesiasticis commendæ parturierint, utinam non nisi invitâ veritate asseri posset.

### S E C T I O N O N A

*Tunc denique tibi licitum censeas, suis Ecclesiæ mutilare, membris, confundere ordinem, perturbare terminos, quos posuerunt patres tui? Si justitia est, jus cuique servare suum: auferre cuiquam propria, justo quomodo poterit convenire.*

**A**D servandum ordinem Hierarchiæ Ecclesiasticæ, à Christo, & Apostolis constitutum, eliguntur Summi Pontifices, quapropter nisi gravis urgeat causa, exemptionum privilegia non sunt facile concedenda, siquidem per exemptiones Ordo Hierarchicus perturbatur, cum inferior à sui Superioris jurisdictione eximitur.

### S E C T I O D E C I M A

*Erras, si ut summam, ita & solam institutam à Deo vestram Apostolicam potestatem existimas.*

**D**EUS à quo est omnis potestas, pro bono regimine Ecclesiæ, diversas instituit potestates, invicem subordi-

ordinatas, quibus omnibus præeminet Pontifícia potestas, quae super universam Ecclesiam quamvis superintendere debet, cum tamen per se solam hoc perficere non valeat, (sunt enim humanæ vires limitatae.) Ideò per constitutas à Deo subordinatas potestates, universi Catholici gregis vigilare debet ad custodiam; quapropter juxta divinam dispositionem, ita se debet in regimine Ecclesiastico gerere, ut relinquat inferiores potestates agere munus suum. Non ne unicus in exercitu Dux copiosam regit militiam, ad eius nutum moventur castra, obsidentur urbes, committuntur prælia, unanimi totius militiae consensu; perspicuum tamen est, quod hæc omnia absque confusione perficere non valeret, si auxiliarios, & subordinatos non haberet duces, si & infimum militem vellet à suo immediato nutu pendere, si omnibus, quae pro sustentatione exercitus necessaria sunt, vellet per se providere; magna utique statim sequeretur confusio in populo, quam avertit subordinatorum Ducum, atque ministrorum providentia, & prævidentia, quam unicuique subordinati ministri, pro munere suo exercent, quorum alii milites instruunt, alii castra disponunt, alii alimoniam prouident: sic à pari in regimine Ecclesiæ, diversæ institutæ sunt à Deo potestates invicem subordinatae, quæ omnes à nutu Pontificis pendent, ita tamen ut teneatur Pontifex (nisi gravis causa aliter cogat disponere) relinquere, quod omnis potestas inferior, secundum quod à Deo ordinata est, agat munus suum, & suo jure potiatur. Cæterum si inferiorum potestatum auctoritatem coarctare velit Pontifex, & omnia per se prospicere, utique non sufficiet ad dirigendam Ecclesiam, & sub tam gravis regiminis pondere, non absque magno Ecclesiæ detrimiento succumbet. Hicque opportunum erit in praxi consilium, quod Jethro Moy si impedit. Exod. 18. de quo jam differuimus lib. 1. cap. 3. sess. 11. Sicut itaque non sola potestas Pontifícia, in Ecclesia à Domino est constituta, ita sunt & mediores, sunt & inferiores potestates, quibus honorum, & di-

gnitatum gradus, & ordines suos servare positus est Summus Pontifex. Hujusmodi potestatum partitæ vigilantiæ, debet universalis Ecclesiæ curam committere, & subdividere, ut cui honorem, honorem servet, juxta dignitatis gradum à Deo ordinatum, ita ut Episcopi in sua Dioecesi, Archiepiscopi in sua Primatia invigilent, & demum Pontifex super omnes superintendat. Ait Apostolus *ad Rom. 13.* *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita est*, non ait sublimiori, tamquam in uno, sed sublimioribus tamquam in multis: quomodo autem servabitur hoc Apostoli effatum, quod omnis anima subdita sit potestatibus, quandocumque Pontifex omnium inferiorum potestatum jura, & munera, ex sua vellet plenaria potestate per se exercere. Posuit Christus in Ecclesia quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios Doctores, & Pastores ad consumationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. Non autem voluit Prophetas omnes docere, aut Doctores prophetizare, aut Evangelistas pascere, aut Pastoribus Apostolatum credere; proinde hoc corpus, quod Pontifici Paulus, suo verè Apostolico figurans eloquio, & capiti convenientissimè aptat, totum ex eo compactum perhibet, & connexum, per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem, in mensuram uniuscujusque membra augmentum corporis faciens, in ædificationem suis in charitate. Sicut autem monstrum faceret, qui manui submovens digitum, faceret digitum pendere de capite, ita esset, si in Christi corpore, nempe Ecclesia, membra aliter collocarentur, quam disposuit ipse Christus; ita ut neque Presbyteri ab Episcopis, neque Episcopi ab Archiepiscopis, sed immediatè à supremo capite Ecclesiæ Summo Pontifice, per impetratas exemptiones, denderent. Hæc videtur esse mens D. Bernardi, dum Pontificem admonet, ne sit facilis ad exemptionum privilegia concedenda, ex quibus, ut plurimum, nullum alium fructum est colligere, nisi quòd exempti ad peccata perpetrandâ sàpè ansam acci-

accipiunt; cum enim statim, ratione exemptionis, coerceri non valeant, ubi deliquerint insolentiores fiunt, & dissolutiones.

## S E C T I O U N D E C I M A

Nec vilem reputes formam hanc, quia in terra est; exemplar habet ē cælo. Neque enim filius potest facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; præsertim tum ei sub Moysi nomine dictum sit, vide omnia facias secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Viderat hoc qui dicebat. Vidi Civitatem sanctam Hierusalem novam, descendenter de cælo, à Deo paratam. Ego enim propter similitudinem dictum reor; quod sicut illic Seraphim, & Cherubim, ac ceteri quique usque ad Angelos, & Archangelos, ordinantur sub uno capite Deo: ita hic quoque sub uno Summo Pontifice, Primates, vel Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, vel Abbes, & reliqui in hunc modum. Non est parvi pendendum, quod, & Deum habet auctorem, & de cælo dicit originem. Quod si dicat Episcopus, nolo esse sub Archiepiscopo; aut Abbas nolo obedire Episcopo: hoc de cælo non est: nisi tu forte Angelorum quempiam dicentem audissis nolo sub Archangelis esse; aut ex alio quolibet inferiorum ordinum, aliquem non ferentem cuiquam subesse, nisi Deo.

**C**LARIS adeò notis se exprimit in hac Sectione Sanctus Doctor, ut ipse sibi ipsi sit Paraphrastes.

## S E C T I O D U O D E C I M A.

*Quid inquis? Prohibet dispensare? non sed dissipare. Non sum tam rudis, ut ignorem positos vos dispensatores: sed in ædificationem; Denique queritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.*

**N**otanda D. Bernardi in materia dispensationum sententia, nempè, ut nonnisi necessitate urgente, & communi utilitate suadente, dispensetur. Tam vereor saepius dispensari ubi necessitas, & utilitas non est, quam ubi tantum privata est. Quid autem hic est dispensare, sensu Bernardi, nisi dissipare; & hic meritò illa ejusdem S. Doctoris verba ingerimus: Ep. I. ad Rober: Quod sibi frustra quispiam blanditur de absolutione Apostolica, cuius conscientiam ligatam tenet divina sententia.

### S E C T I O D E C I M A T E R T I A

*Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est. Ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum est; non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. Nonnulla tamen Monasteria, sita in diversis Episcopatibus, quod specialius pertinuerint, ab ipsa sui fundatione, ad Sedem Apostolicam pro voluntate fundatorum, quis nesciat? Sed aliud est quod largitur devotione, aliud quod molitur ambitione impatiens subjectionis. Et hæc dicta de his.*

**Q**uæ circa disciplinam Ecclesiasticam sancita fuerunt à Patribus, nonnisi ad lucrum, & custodiam charitatis instituta fuisse certum est; quapropter quandiu charitati sancita decreta militant, immobiliter fixa sunt, mutarique omnino, ne ab ipsis quidem Præpositis, sinè offendere charitatis nequeunt; at si in aliquibus casibus, qui ratione circumstantiarum tam varii sunt, semel sancita, contraria fortè charitati, progressu temporis visa fuerint, justissimum esse liquet, ut quæ pro charitate fovenda statuta fuerunt, pro charitate quoque amplianda, ubi expedit videbitur, vel omittantur, vel intermitiantur, vel in aliud fortè commodius immutentur. Sed ab his dumtaxat, quibus hoc posse discernere datum, & providere creditum est. Non enim spirituali regimini consonum foret, si o-

cur-

currentibus in necessitatibus, quæ fuerunt pro sola charitate fovenda sancta, contra charitatem tenerentur, & inexorabiliter dispensationi discretæ non cederent. Ubi ergo necessitas non exigit, inconvertibilia manere debent à Patribus sancta decreta, ubi vero necessitas urget ad utilitatem Ecclesiæ, & charitatis augmentum, qui potestatem habet, dispensationem justè adhibet; ex necessitate enim fieri debet legis mutatio. Sed illis tantum credita est dispensatio, qui cum Apostolis dicere possunt: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei, hoc quippe queritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur;* & eadem fidelitas exigitur in obtemperando à subditis, quæ à Præpositis in dispensando. Non itaque ex voluntate, sed ex ratione impetrari debet dispensatio; ex quo patet, quod observantia disciplinæ Ecclesiasticae, subest ejus qui præst non voluntati, sed rationi, & discretioni: *Itaque ubi necessitas urget dispensatio excusabilis, ubi utilitas Ecclesiæ provocat laudabilis est.* Nulla autem permissio licitum facere potest, quod purum malum est, pura siquidem mala, sicut numquam justè juberi valent, sic nec licet posse umquam fieri, dispensari potest. Quod si aliquando dispensationes conversæ sunt in dissipationes; certum est in his casibus Præfules dispensasse, aut circumventos mendacio, aut importunitate vicos. Sed non ideo malum esse desiit, aut minoratum est, quia Superior circumventus mendacio, aut importunitate vicit concessit, quod non immerito ipsi etiam à Pontifice dispensati timentes, nec satis de propria causa confidentes, suas agitatas conscientias Apostolica licentia delinire conati sunt. O frivolum satis remedium, quod non est aliud, nisi protoplastorum more, cauteriatis conscientiis texere peripzomata, videlicet ad velamentum, non ad medicamentum. Utinam non licentiam, hujusmodi adventantes pro dispensatione, ad Curiam, quæsissent, sed consilium; idest, utinam accessissent ut peterent, non quod liceret, sed ut quærent, an liceret.

Numquam permisso licitum facere potuit, quod purum fuit malum; pura etenim mala sicut numquam justè juberi, sic nec licet fieri posse, permitti haudquaquam potest. Omnis dispensatio injustè petita, quantumvis obtenta, frivolum remedium est pro conscientiae tranquillitate. Ubi veritas, & quidem veritas necessaria, in causa non est, nec licet quisquam potest pro dispensatione accedere, tantum abest, quod licet valeat de obtenta dispensatione proficere. Mira utique quorundam, non delicatae, sed defecatae conscientiae cautela, qui malum quod corde concipiunt, opere implere absque licentia verentur; concipiunt dolorem, ut pariant cum subreptitia, vel obreptitia licentia iniquitatem. Certè malum numquam definit esse malum, quia Pontifex, vel mendacio circumventus, vel importunitate victus dispensavit; Pontifex enim numquam assensum præbere intendit malo, cum dispensationes impertitur; ipsi viderint, qui pro dispensatione accedentes, repræsentant, prout ipsis libet, bonum malum, & malum bonum; quapropter non sine injuria Domini virtutum, qui insubstantes dispensationes extorquent, eisque abutuntur, virtutibus faciunt injuriam, non attendentes quid sit quod dispensatur. Sed aliud adhuc majus incongruum oriri ex dispensationibus experientia perhibet; ut plurimum enim ex his, Episcopali auctoritati præjudicium infertur, cum tamen eorum auctoritas fuerit semper Clypeus Pontificiae potestatis: Episcopi enim illi sunt, qui honorem summi Sacerdotis zelantur, qui fideliter pro exaltatione summi Pontificatus laborant, sed inefficaciter, si eorum non sustinetur auctoritas, quæ depressa, Pontifex suas sibi minuit vires, suum deprimit robur, quotiescumque in præjudicium Episcopalis auctoritatis, Apostolicis indultis, ab Episcopali jurisdictione, recurrentes eximuntur; certè dispensationis hostiis per quam raro promeretur Deus, placatur ira, conciliatur gratia, obtinetur misericordia.

## CAPUT QUINTUM

## SYNOPSIS.

Summo Pontifici cura incumbit de Apostolicis decretis, & majorum institutis per totum orbem servandis, totiusque Ecclesiæ statum debet habere perspectum, ut sciat an Canonum observantia vigeat: de eorumdem neglectu conqueritur S. Bernardus, quod probat ex capitulis Rhemensis Concilii, sub Eugenia celebrati, eodemque Pontifice adhuc superflite, a quo fuerant decreta subscripta, eorundem inobservantiam deplorat; potissimum culpanda Prælatorum negligentia, in quam ferè redundant subditorum culpa. Potiora Rhemensis Concilii decreta recolit, quarum transgressioni probat incentivum dedisse Prælatorum incuriam, & dissimulationem, ex qua nascitur impunitas, quam plurium malorum feracissimam esse, semper comprobavit experientia. Demum inordinatam vivendi rationem Clericorum sui temporis perstringit.

## SECTIO PRIMA.

*Supereft, ut super universum Ecclesiæ statum intendat consideratio tua.*

**S**ui potissimum muneris monentur in hoc Capite Præsumpti, qua de re pluribi sermonem instituit, suis in operibus, S. Doctor, præcipue variis in Epistolis ad Pontifices sui temporis directis, nempè Honorium Secundum, Innocentium Secundum, & Eugenium Tertium: tot enim tantaque sunt, quæ ad Pontificii muneris numeros absolvendos occurrunt, ut omnia brevibus perstringere sensibus, penè sit impossibile. Ut igitur Summus Pontifex suæ excellæ dignitatis muneri satisfaciat; debet imprimis, omnibus in occurrentibus causis fidei, suum proferre judicium; mox

ope-

operam dare, ut nascentes hæreses protinus extinguantur, deinde nihil magis decet Summum Pontificem, quām pacem fovere, & concordiam inter Catholicos Principes; & qui- buscunque, qui sunt de ovili Ecclesiæ, quos oppressos compererit, opportunum ferre subsidium. Omnino cautè se gerat, ne in Apostolicarum dispensatione gratiarum, subreptiones locum habeant, factus præcipue inflexibilis adversus carnem, & sanguinem; ita ut in eligendis ministris, in conferendis dignitatibus, virtus, & meritum, non nobilitas, aut propinquitas sanguinis referet aditum; tunc enim dignos feliget ministros, cum cor suum ab omni propensione, & manus suas ab omni munere servabit immunes, neque erit apud ipsum personarum acceptio, ad solam Dei gloriam, & Ecclesiæ incrementum prospiciens; proinde omnibus ministeriis non probandos, sed probatos viros appetare studebit: unde fiet, ut in toto orbe Catholico Ecclesiasticarum legum observantia florescat. Demum si super universam Ecclesiæ statum (ut ait S. Bernardus) intendere debet consideratio Pontificis, quantus labor eum manet, quām jugis esse debet consideratio ejus, qui à Deo electus est *ut omnibus, quæ ad Ecclesiæ statum pertinent superintendant*, nempè.

## S E C T I O   S E C U N D A

*Si Plebs Clericis, si Clerici Sacerdotibus, si Sacerdotes Deo, in ea quā opportet humilitate, subiecti sunt.*

**D**icit humilitas Sacerdotes, decet Clericos, decet omnes Catholicos, qui sub Christo, veræ humilitatis exemplo, militare gloriantur. Sed quā ratione Clericos illos Sacerdotibus subesse dixeris, qui vix ad minores ordines promoti, statim cum Sacerdotibus altiora querunt subsellia, & cum inferiores honorum gradus adepti sint in Ecclesia (utinam saltem vita merito) interposito Magnatorum patrocinio, vel carnis, aut sanguinis perorante

præ-

prærogativa, statim ad altiora sublimari contendunt. Hujusmodi Clericorum, insatiabilem ascendendi cupiditatem perstringit S. Bernardus acuto calamo, tractatu de moribus, & officio Episcoporum, capite septimo: & undè hoc in Ecclesia malum, unde tanta inter Clericos ambitio, nisi quia non desiderio serviendi Deo, & Ecclesiæ, sicut par esset, sed solo animo suæ inserviendi cupiditati, & ambitioni inter Clericos computari voluerunt, cum tamen eorum vocatio eos inclinaret ad sacerdolum; proinde in statu Clericali illud solum, quod delectat eligunt, & amplectuntur, quod molestum est fugiunt, & declinant; in labore, & humilitate Clericorum esse despiciunt, ideo tenuit eos superbia, & Sacerdotibus subesse recusant. Clericorum vocatio debet summa sollicitudine ab Episcopis examinari, probari, purgari; hinc tota summa observantiæ disciplina Ecclesiastica pendet in Clero sacerdotali; sicut & in regulari ex optima novitiorum institutione, & probatione colligitur: alios enim scimus ad professionem Ecclesiasticam non esse vocatos à Deo, sed ab ambitione, & avaritia; aliis vero adhuc parvulis, & forte adhuc nondum natis, Ecclesiastica beneficia, provida parentum sollicitudo paravit, ut ditarentur de bonis Domini, & ut in plures filios paterna non divideretur hæreditas. Sunt etiam inter regulares, qui veniunt quærentes, non Deum, sed panem, quem cum invenerint satis habent. Quid aliud hoc est, quam cælestibus terrena mercari. Audiant hujusmodi mercatores quærelas Domini: *Osea 8. Principes extiterunt, & ego non vocavi eos.* Veh illis, qui in domo humilitatis, superbè sapere volunt, qui à sacerdotalibus segregati, cum sacerdotalibus moribus commisceri non verentur. Certè nisi abundaverit justitia Clericorum plusquam sacerdotalium, non intrabunt in regnum cælorum. Laici de mundo sunt, licite proinde cogitant quæ mundi. Clericis, & Sacerdotibus dictum est. *Vos de mundo non estis, sed vos elegi de mundo.* Si in terra pasci gregem videmus, non miramur; pastorem autem similiter incurvari deorsum, similiter inhiare terrenis, &

quæ inferiora sunt querere, nonne ridiculum est; ita planè ridiculum est eos, qui sunt de ordine Clericali, conspicere cum sacerdibus commixtos, Deo dicatos mundo addictos, altarium ministros profanis ministeriis intentos: debet unusquisque vivere, & secundum ordinem, & in ordine suo, si post mortem detrudi non vult, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Ut ergo omnia ordinata sint in domo Dei, ad hoc præcipue intendere debet consideratio Pontificis, ut plebs Clericis, Clerici Sacerdotibus, Sacerdotes Episcopis, Episcopi Christi Vicario, in ea quæ opportet humilitate, subjecti permaneant, & unusquisque consistat in ordine suo; Ecclesiastici ecclesiasticè vivant, Clerici Sacerdotibus coæquari non ambiant, Sacerdotes Episcopis subesse non despiciant, Sæculares Ecclesiasticis honorem deferant, Regulares à Sæcularibus segreges vivant, nullibi misceantur sacra-profanis: reddat unusquisque, quæ sunt Cæsar is Cæsari, quæ sunt Dei Deo.

### S E C T I O T E R T I A

*Si in Monasteriis, & Religiosis locis servetur ordo,  
vigilet disciplina.*

**Q**uantum à fervore primæ institutionis deflexerit ordo Monasticus, pudet dicere, sed magis pudeat admitti, & si pudet audire, utinam non puderet emendare. Properabant olim à seculo ad Monasterium, idest à ditiviis ad paupertatem, à libertate ad obedientiam homines, ut corpori incommoditates quererent, nunc verò satius dixeris habitum induere monasticum, ut commoda, & voluptates sequantur. Si parentes nostri in cinere, cilio, jejunio, & in omnibus disciplinæ monasticæ observantibus incesserunt, quam nobis viam nunc sternimus ad cælum, diversas omnino semitas percurrentibus; ipsos abstinentiæ rigor ad finem usque comitatus est, ita ut morientes, sola pelle, & ossibus constare viderentur, imò viventes

cadavera deambulanta credidisses ; sed nostrorum temporum per plures Monachos , usque ad feretrum pinguedo comitatur . Monachi ethymon est solitudo , & tristitia ; quā ratione itaque cum Monacho convenire possunt ornatūs , habitus , & vietus , mundi pompa redolentia ; utique inter hos fastus *non servatur ordo , non vigilat disciplina monastica* : sed unde hæc enervatio institutorum regularium , non sine pudore dico , ex Superiorum inobservantia pululat Monachorum corruptela . Quomodo audeant Superiores subditos suos corrigerē , & in disciplina continere , quandoquidem ipsis penè dixerim , dignitatis obtenta decus in vita indisciplinata constituunt . Si Superiores in aula hospitum horas noctis inter coenas oppiparas transigunt , noctem vertunt in diem , superfluis assidentes confabulationibus , utique ad horum exemplum componi nequeunt Monachi , ut orationi vacare valeant , jejuno , & silentio , ut in Oratorio inventiantur assidui , divinæ psalmodiæ pensum absoluturi , quandoquidem Superiores penè ab omni Chori obligatione se se absolvunt . Quærunt Superiores ad induendum , non quod utilius , sed quod subtilius , non quod vilius , sed quod venustius ; ubi Superior circa indumenta curat de pretio , de colore , de cultura vestimentorum , difficile est quod inferior proficere studeat in profectu virtutum , & quærente Superiori delicias in cilicio , certè non excitatur subditus ad quærendum cilicum , præunte exemplo deliciarum . Veh nobis , qui sine ordine in ordine , & indisciplinati sub disciplina viventes , regularis instituti quod profitemur , non solum virtutem amissimus , sed nec speciem retinemus : etiam super hæc intendere debet consideratio Pontificis , & providere ut intelligat : *Si in Monasteriis , & Religijs in locis servetur ordo , vigilat disciplina* , non modicum enervata ab indisciplinatis moribus illorum Superiorum , qui suis oscitantes in commodis , præire deberent , & excitare exemplo bonorum operum inferiores ad observantiam ; sed nil minus quam de observantia folliciti , statim ac Superiores electi , omnia sibi licere arbitrantur , miserè transeuntes à commissaria

missa dispensatione ad dominationem; & suis in moribus, in suorum habitaculorum ornatu, non nisi pudendam fæcularitatem inducunt, matrem noxiæ libertatis, per quam suas constitutiones genio, non genium constitutionibus attemperare præsumunt. Quid mirum interim, si quæ contrâ observantiam non verentur palam agere Superiores, inferiores furtivè committant. Æquè inferior, ac Superior tenentur ad observantiam, nec minor ad subditos, quâm ad Superiores substantiarum Monasterii pertinet usus: istis solum tamquam Superioribus commissa est dispensatio, non dissipatio, non dominium. Quis senserit à Superioribus regularibus, si qui hujus sunt furfuris, servari ordinem, & sufficienter eos reddere Domino vota sua, quandoquidem suis in molitionibus, potius ordinem pervertunt, sola auctoritate, quâ fungi posse præsumunt, abrogantes inventeratos usus, sanctè custoditos à suis prædecessoribus; sic facientes quia volunt, neminem fiscitantes an possint. Omnis observantiæ regularis corruptela, à Superiorum inobseruantia suam dicit originem. Invigilent proinde, ad quos spectat *si in Monasteriis, & Religiosis in locis servetur ordo, vigilet disciplina*. Si in Superiorum electione præferantur digniores; an ad quos spectat eligere, potius ad munera respiciant, quâm ad merita: an ratio locum habeat, vel passio; an peculiare emolumentum obstat communi religionis incremento; an finis protrahendi dominium, & disponendi in ordine ad placitum, feligat vocales, qui semper parati sint dicere, his qui semper dominari contendunt, euge euge. Sanè magna res est ista, & egens consideratione non minima.

Ex quo autem ad regularium ordinum observantiam digressus est sermo, ad quorum incrementum Bernardus Eugenium, & in eo omnes Pontifices excitat, ne mireris lector, occasione arrepta, paulò fusiùs me prosequi ista, *facio non oblitus propositi, sed quod à proposito non judicem alienum hæc pauca subnectere.*

Satis notum est omnibus, quod contra hæreses ope Ordin-

Ordinum Regularium Ecclesia semper pugnaverit in manu  
forti, & brachio extento; quoniam ex his tanquam ex ca-  
stris Altissimi, fortiores Israel progressi sunt ad exterminan-  
dos Ecclesiæ inimicos, & dissipandas gentes, quæ bella vo-  
lunt in domo pacis, & ad destruendam omnem multitu-  
dinem extollentem se adversus scientiam Dei, quæ est fides  
nostra: nonne Regulares ipsi sunt, qui se disponunt in  
aciem sacris in missionibus, procedentes ad bella pacifici.  
Tales sibi elegit Deus, & quotidie colligit ex fortissimis  
Israel, qui veri lectulum Salomonis vigilanter, fideliterque  
custodiunt. Nunc autem, proh dolor? quales sunt sensus,  
qui invalescunt in opprobrium Regularium Ordinum.  
Suam fortiuntur originem hæc ingruentia damna contra  
Regulares ordines ab Hæreticorum malitia. Non ignorant  
Hæretici ordines regulares semper, tamquam fortissimum  
murum, se opposuisse eorum versutiis; ideo, ut quemad-  
modum desiderant ad nihilum redigant, student dissemina-  
re illos sensus, quibus invalescentibus, tamquam inutiles,  
& nugaces habeantur in opinione sæculi, quicunque ordi-  
nibus regularibus sunt addicti, ita ut iam penè despica-  
biles facti apud minus piè, minus sanè sentientes, quasi  
probro ducat moderna juventus se recipere in claustris, &  
habitum induere regularem. Cum regularis professio ma-  
jori habebatur in veneratione in orbe Catholico, & ad Ec-  
clesiastica fastigia sublimandi, passim assuebantur ex clau-  
stris, non modo nobiliores sæculi, sed etiam Principes chla-  
mydem in cucullum monasticum commutabant, se suaque  
oninia Ecclesiæ devovebant, quæ non modicum facta est  
dives ex patrimoniis, quæ viri potentes, & divites, una  
cum se ipsis Ecclesiæ obtulerunt: nunc autem quia muta-  
tus est color optimus, & regularis professionis alumni,  
tamquam impares, & minus idonei, si non excluduntur,  
salem per quam raro includuntur in numero promoven-  
dorum ad Ecclesiastica fastigia, non amplius sæculi opti-  
mates, sicut olim, student filios enutrire, qui confluant  
ad claustra, militaturi Regi Regum: videntes quod Regu-  
lares

lares jam prope facti sunt omnium peripzema usque adhuc.  
 Ut reviviscat Regularium ordinum decus, ut gratum Deo,  
 & Ecclesiæ incremento proficuum offeratur sacrificium  
 laudis, ut exterminentur invalescentes contra regulares or-  
 dines, qui hodie circumferuntur, sparsi à libertinis, minus  
 Catholici sensus, nil opportunius, quam si unanimes in Ec-  
 clesia, uterque Clerus sacerdotalis, & Regularis sua incremen-  
 ta promoteant. Nonne ambo Cleri sunt militares copiæ,  
 ad Ecclesiæ defensionem à Deo institutæ? Quid valeat cha-  
 ritati inter utrosque officere sola coloris varietas, quando  
 uterque Clerus, sub unius ducis Jesu Christi, & ejus Vi-  
 carii in terris jussu militant: ambo licet per semitas di-  
 versas, eundem incendunt in finem, nempe ad promo-  
 vendam Dei gloriam, & S. R. E. exaltationem: ambo ubi  
 in indissolubili charitate persistant, tamquam inexpugnabi-  
 les phalanges fraudibus Hæreticorum se opponent; pugna-  
 bunt, & triumphabunt. Ambo itaque erga se invicem de-  
 bitum obsequium promoteant. Clerus sacerdotalis regularem  
 defendat, Regularis ubi opus est pugnet pro sacerdotali: ex-  
 cludatur ab utroque emulatio, quæ mundanum quid posset  
 redolere; emulentur ambo tantummodo meliora charisma-  
 ta. Gaudeat sacerdotalis Clerus de profectu regularis; lætetur  
 regularis de sacerdotalis incremento, & in utroque lætabitur  
 Ecclesia, gaudens enutrire filios, ad omneum sanctimoniam  
 compositos.

#### SECTIO QUARTA

*Si super prava opera, & dogmata censura Ecclesiastica vi-  
 geat, si floreant vineæ honestate, & sanctimonia Sacer-  
 dotum, si flores fructus parturiant, obedientiam fidelium  
 populorum. Si demum vestra ipsorum Apostolica manda-  
 ta, & instituta, ea quæ dignum est sollicitudine obser-  
 ventur, ne quid in agro Domini tui, aut neglectu incal-  
 tum, aut fraude subreptum inveniatur.*

Sum-

**S**ummi Pontificis est totius Ecclesiæ statum considerare: San Canones, & decreta serventur, quibus neglectis in pessum ire disciplinam Ecclesiasticam, quotidiana docet experientia. Quapropter de Canonibus utiliter latis in Concilio Rhemensi, sed non observatis, conquæritur Sanctus Bernardus. Sed quales, & quantæ nunc essent quærimoniae ejusdem S. Abbatis, disciplinae Ecclesiasticae zelatoris eximii, de tot præclaris Concilii Tridentini sanctioribus, ad informationem adeò necessariis, & nihilominus in orbe Christiano neglectis. Nec juvat transgressionis excusationem adducere, quod circa multas sanctiones *ipsa per se injuncti operis qualitas est innoxia*, & proinde culpabilis esse nequeat; nam pondus conciliaris auctoritatis, circa sanctionum observantiam, certum est, quod accedente transgressione, facit obnoxiam. Ibique opportunum erit advertere, quod ea, quæ à lege Ecclesiastica præcipiuntur, generalem vigere hanc regulam, quod quæcumque institutiones Ecclesiasticae, si per se, aut propter se, nec bona sunt, nec malæ, quatenus non iussæ, licet utrumlibet, nempe vel omitti possunt, vel admitti, ubi res graves non concernant, & potius usu dévoto, quam per sacros Canones, & Pontificia decreta sint introductæ; prout verò iussæ sunt, propter adjunctum præcipientis auctoritatis pondus, negligi nequeunt sine culpa, nec contemni sine crimine possunt; utique enim, & culpabilis est neglectus, & damnabilis est contemptus. In hoc autem differunt neglectus, & contemptus, quod neglectus est languor inertiarum, contemptus superbia tumor: contemptus in omni specie mandatorum semper est pari pondere gravis, & semper damnabilis; neglectus verò, juxta mandati gravitatem plus minusve gravis censetur. Ad hoc ut contemptum omnem, atque neglectum, quantum possibile est, ad nihilum redigat Summus Pontifex, semper debet esse sollicitus: tunc maximè, cum de Apostolicorum decretorum, & canonicarum sanctionum agitur observantia. Si enim in institutis Canonicis observandis, vel levem patiatur negle-

glectum , statim discernet neglectum transire in contemptum . Summa autem est Pontificis auctoritas , proinde nonnisi gravis esse potest ejusdem mandatorum neglectus , quandoquidem , juxta præcipientis auctoritatem , gravior est legis obligatio , & gravior etiam esse perhibetur transgressio ; nam qualitas præceptorum , & auctoritas præcipientium obedientiae præfigit metam , inobedientiae terminat culpam ; & quod diligentior debetur obsequendi cura , eò gravior culpa incurritur de contemptu , quia ubi reverentior nobis imminet auctoritas præcipientis , eò gravior formidari debet transgressio . Deplorabile utique est , quod quid inveniatur in agro Domini , *neglectu incultum* , sed magis adhuc deplorabile offertur , *quidquid est fraude in Ecclesia subreptum* ; ad hæc avertenda mala invigilandum , *an super prava opera , & dogmata , censura Ecclesiastica vigeat , an vineæ florent honestate , & sanctimonia Sacerdotum , & flores fructus parturiant obedientiam fidelium populum* . Sancti sint Sacerdotes , & proculdubio sanctus erit populus . Nam sicut Sacerdos , sic & populus . Quotiescumque Superiores præcipiunt , subditi tenentur obedire mandatis . An autem liceat subditis examinare Prælatorum mandata , & ab eorum obedientia , sinè conscientiae præjudicio , aliquando se possint subtrahere : pro resolutione quæsiti , scendum quod obedientiae virtus semper militare debet veritati , & charitati ; quapropter si in executione mandati , adversus veritatem accingitur , obedientia definit esse : ubi ergo executio mandati , a Superiori propositi , cum subditi conscientia non acquiescit , & citra scandalum exequi non valet , potest immo debet subditus a Superioris se obedientia subtrahere : jam enim constat in hujusmodi casibus obedientiam non militare veritati , & charitati , si exequentis mandatum conscientiam agitat , & citra scandalum exequi non valeat . Sed quid ad me (forte dicat aliquis zelo obedientiæ stimulatus) ille viderit , cui mihi contradicere fas non est . Non est discipulus supra Magistrum . Sequi debet , non præire Superiorum subditus , qui docendus , non docturus

Su-

Superioris lateri adhæret ; nec subditus attendere debet quale sit quod præcipitur , cum debeat hoc solo esse contentus , quia præcipitur . Utique non est qui afferat , mandata Superiorum esse à subditis iudicanda , ubi nil juberi deprehenditur , divinis contrarium institutis ; necessaria tamen est in subdito prudentia , quæ discutiat , an quid forte in executione mandati propositi , legi Dei adversetur , & consequenter propriæ conscientiæ quieti molestiam inferat ; cæterum frustrâ scripsisset Apostolus : *Omnia probate , quod bonum est tenete ;* Et Christus cum simplicitate columbae , uniri voluit prudentiam serpentis ; Neque præcipiente superiore contraria legi Dei , ponit in tuto subditus conscientiam suam dicens : Nihil habeo interrogare , viderit Superior quid jusserit . Dic quæso , si dato in manus gladio , suum te armari juberet Superior in jugulum , Superiori sic imperanti , statim ne acquiesceres ? Nonnè ab hac obedientia te non subtrahere , meritò crederes tibi in crimen reputari homicidii . Constat ergo debere subditum uti prudentia in exequendis mandatis , tunc maximè , cum secundum recti dictamen judicii probata bona non esse discernuntur . Hicque præcavendum quod quædam sunt pura bona , quædam pura mala , & in his nullam deberi hominibus obedientiam , quoniam nec illa oniittenda sunt , etiam cum prohibentur , nec ista vel cum jubentur committenda . Porrò inter hæc sunt media quædam , quæ pro modo , loco , & tempore , vel persona , idest attentis circumstantiis , & mala possunt esse , & bona , & his lex posita est obedientiæ . In his profectò fas non est sententiam discutere Superiorum ; in his omnino Prælatorum nec jussio , nec prohibitio contemnenda . Pura mala numquam præcipi possunt , pura bona nunquam prohiberi , cum nullius prohibitio valeat obviare divinis præceptis , nullius jussio præjudicare prohibitis . Quia verò quædam sunt media , quæ quidem per se nec bona esse noscuntur , nec mala , & in tantum bona , quia præcepta , mala quia prohibita , hæc possunt quidem à Superioribus ,

& benè pariter, & male, vel prohiberi, vel juberi, sed male nullatenus in his à subditis poterit obediri.

### SECTIO QUINTA

*Posse inveniri ne dubites, mibi in promptu est (ut multa, & innumera prætermittam, quæ passim negligēta jacent) nonnulla etiam ex his, quæ plantavit dextera tua, convulsa monstrare. Nonne os tuum in Rhemensi Concilio, subiecta Capitula promulgavit. Quis ea tenet? quis? falleris, si teneri putas. Si non ipse peccasti, aut statuens, quæ non tenebentur, aut quod non tenentur dissimulans.*

**S**tatuere, quæ non observentur, aut statutorum observantiam dissimulare, culpa est præcipientis, non minus gravis, quam transgressoris; & fortè major in illo qui ut adimpleantur statuta non invigilat; siquidem omnium transgressionum, quæ contra promulgatum statutum committuntur reatu gravatur; ubi transgressores, de suâ solum peculiari inobedientia, sunt apud Deum culpabiles.

### SECTIO SEXTA

*Præcipimus aistī, ut tam Episcopi, quam Clerici, neque in superfluitate, seu in honesta varietate colorum, aut fissura vestium: neque in tonsura, intuentum (quorum forma, & exemplum esse debent) offendant aspectum: sed potius ita in suis artibus errata condemnat, & amorem innocentiae conversatione demonstrent, sicut dignitas exigit Ordinis Clericorum &c.*

**R**hemensis Concilii capitula, sub Eugenio Tertio statuta, hic exhibet S. Bernardus, quæ ipso Pontifice adhuc superstite, non observata deplorat. Primum Capitulum Clericalis habitus, atque tonsuræ præcipit honestatem,

statem , cuius Canonis observantia , utinam nostris vige-  
rat temporibus , quibus passim obvios habemus Ecclesia-  
sticos , quos forma , & honestas habitus ( utinam saltem  
cultura morum ) utique à Sæcularibus non facit discretos .  
Honorem , & decus Ecclesiasticae dignitatis , etiam in exter-  
no cultu habituum esse repositum , sed magis in cultura  
morum , & professione virtutum , omnibus satis compertum  
est . Hanc veritatem mellifluo calamo suadere nititur San-  
ctus Doctor , tractatu de moribus , & officio Episcoporum ,  
ex cuius sensibus facile ediscitur , quâ ratione valeant Ec-  
clesiastici honorificare ministerium suum . Quisquis Eccle-  
siasticae militiae nomen dedit , aut mundo placere gestit ,  
aut Deo . Si Mundo , superfluum erat Clericalem assum-  
psisse tonsuram . Si Deo , quarè unâ cum hominibus sæculi ,  
adhuc mundi studet vanitatibus , emendicatis capillorum  
ornamentis , & luxu habitum . Cum primum quis Cle-  
ricalem habitum induit , crinum tonsuram suscipit ab Epi-  
scopo , ut discat superflua omnia esse ab Ecclesiasticis re-  
secanda ; cur itaque in superfluo ornatu reassumere eniti-  
tur , quod jampridem tamquam superfluum projecerat .  
Utique vel ut placeat Deo , vel ut placeat hominibus . Si  
ut placeat Deo fallitur , Deus enim non placatur vanita-  
tibus mundi . Si ut placeat mundo , ergo mentitus est per  
assumptam tonsuram , quandoquidem in abscissione crinum ,  
se à mundi vanitatibus segregem vivere professus est . Sæpè  
in sacris Conciliis , per renovatos Canones , luxus vestium ,  
cultura crinum fuere interdicta , sed non restricta , poenâ  
dictata , sed minimè secuta , ex quo factum est , ut mol-  
lities vestium inter Ecclesiasticos magis invalesceret , à  
tempore D. Bernardi usque ad nostram ætatem : Ad evel-  
lendos abusus , non sufficit poenam infligere , nisi transgres-  
sores cogantur , & poenæ succumbere . Poena statuta , &  
non inficta , novæ est transgressionis incentivum , non re-  
medium . Sed ægrè se ad modestiam , & frugalitatem , sacra  
professione condignam , component Clerici , nisi prius juxta  
Canones se componant Præsules , & suo doceant exemplo ,

quod præcipuum Ecclesiastici decus est ordinis, nempè virtus, modestia, & pietas, quorum incremento non parum officit erronea, quæ multorum animos occupavit, opinio, externum scilicet splendorem, proceribus Ecclesiasticis congruere, imò necessarium esse, ut gradus dignitatem tueri valeant; sed hanc inanem persuasionem, Canonum, & Conciliorum auctoritas, unanimis Patrum doctrina, Sanctorum Præsulum exempla, & ratio ipsa convellunt, ex quibus omnibus evincitur, veris solidisque virtutibus, potius quam externo splendore, honorem, & reverentiam, acquiri. Utique nimis infirma sunt honoris fulcra, quibus plerique Ecclesiastici, mundi vanitatibus addicti, innituntur, indè nitorem acquirere, & decus se posse percipere arbitrantes: imò certum est, quòd potius auctoritati officiunt, & tandem pariunt contemptum; facile his consentiet, qui Sanctorum Præsulum, & Ecclesiasticorum exempla percurret; sed ad quid veterum exempla proponere, quandoquidem nostrismet oculis testes esse possumus, sæculares scilicet venerabundos accedere ad Ecclesiasticum, quem vident moribus, & habitu compositum, & tamquam nugaces contemnere vanitatibus additos: adeo verum est, quòd honorem, & decus Ecclesiasticorum, non vanitates, sed virtutes conciliant.

## SECTIO SEPTIMA

*Illud etiam duximus adnectendum, ut nullus in Archidiaconum, vel Decanum, nisi Diaconus, vel Presbyter ordinetur. Archidiaconi vero, Decani, & Prepositi, qui infra ordines prænominatos sunt, si inobedientes ordinari contempserint, honore suscepto priventur.*

**C**ontra dispositiones Canonicas accelerati honores, non extollunt, sed deprimunt promotos, imò & promoventes; per gradus, non per saltus ascendendum est ei, qui in suo profectu non vult sentire defectum. Heu nimium,

nostra ætate, plures videre est, qui vix inter Clericos computati, jam aspirant ad infulas, neque (sicut par esset) ut Ecclesiis deserviant, sed ut Ecclesiis præficiantur, inter Ecclesiasticos computari patiuntur, sedentes in Cathedralibus, priusquam Clerici apparuerint; difficile est exper-tum militiae ducem se exhibere, qui in inferioribus militiæ gradibus se prius non exercuerit, idem censeas, & de militia Ecclesiastica. Qui juxta statuta à sacris Con-ciliis tempora, in inferioribus Ordinibus, digna Ecclesiasti-co probitate, se non exercuerit, vix evadere poterit in Sacerdotem perfectum.

## S E C T I O O C T A V A

*Prohibemus autem ne adolescentibus, vel infra sacros Or-dines constitutis, sed qui prudentia, & vita merito cla-rescunt, prædicti concedantur honores.*

**P**romotio juniorum ad Ecclesiasticas dignitates, gravi-ter perstringitur in hoc Canone; difficile enim esse noverat Eugenius Pontifex, gravitatem morum, quæ per-necessaria est cuicunque Ecclesiasticas dignitates implenti, cum juventute componere: nam licet nulla ætas Dei gra-tia sit sera, vel præmatura, quamvis aliquando sit inve-nire juniores, qui super senes intelligunt, moribus anti-quant dies, prævenientes tempora meritis, quodque ætati deest compensantes virtutibus; nihilominus experientia comprobat, quod cum virtus præmatura fulget in junio-ribus, admirationem potius sibi conciliat, quam venera-tionem. Ad dignè ministrandum in Ecclesia Dei, per-necessarium est, quod in excellentioribus dignitatibus con-stituti, non modò ratione virtutis effulgeant, sed etiam, ut ratione gravitatis, quam præfert ætas præmatura, ve-nerationem à subditis exigant. Perspecta Eugenio hæc ve-ritas, cui inhærens, præfato memorabili Canone decretit ne adolescentes ad dignates promoverentur Ecclesiasticas.

Pro-

Profectò , si aliquando contigit juniorem aliquem , in Ecclesia promotum invenire , qui absque quærela subditorum , suo satis fecerit muneri , & impleverit cum omni prudètià , in junioribus annis , dignitatem , opus Dei hoc fuit , mirandum , non imitandum . Per quam difficile est , juvenem posse diù præesse , absque eò quod in scopulum impingat , si non aliundè , saltem defectu experientiæ ; esto posse juvenem compensare virtutibus , quod deest ætati ; rerum tamen experientia in sola insidet ætate proiecta , neque sine experientiæ , quis potest commendabile regimen exhibere ; proinde sapienter cautum fuit ab Eugenio , ne adolescentibus Ecclesiastici concederentur honores .

### SECTIO NONA

*Verba tua hæc , tu sanxisti ; quid effectui mancipatum : adhuc adolescentes , adhuc qui infrà sacros Ordines sunt , in Ecclesia promoventur : Quod ad primum capitulum pertinet , luxus vestium interdictus , sed non restrictus : pœna dictata , sed minime secuta est . Jam quartus annus est , ex quo datum mandatum audivimus ; & neminem adhuc Clericorum privatum beneficio , neminem Episcoporum suspensum ab officio luximus . At luctu amarissimo dignum , quod secutum est . Quid hoc ? Impunitas , incuriæ soboles , insolentiæ mater , radix impudentiæ , transgressionum nutrix . Et beatus , si omni satagas curâ , malorum omnium primum parentem , cavere incuriam . Sed ad hoc , tu operam dabis . Et nunc leva oculos tuos , & vide si non æquè ut prius , pellicula discolor sacrum ordinem decolorat . Si non æquè ut prius , fissura enormis penè inguina nudat . Solent dicere : Num de vestibus cura est Deo ; & non magis de moribus ? At forma hæc vestium , deformitatis mentium , & morum indicium est . Quid sibi vult quod Clerici aliud esse , alid videri volunt ? Id quidem minus castum , minusque sincerum , nempe habitu milites , quæstu Clericos , actu neutrum exhibent .*

bent . Nam neque pugnant at milites : neque ut Clerici  
evangelizant . Cujus Ordinis sunt ? Cum utriusque esse,  
cupiant : utrumque deserunt , utrumque confundunt . Unus-  
quisque , inquis , in suo ordine resurget . Isti in quo ?  
An qui sine ordine peccaverunt , sine ordine peribunt ?  
Aut si summè sapiens Deus , veraciter creditur à summo  
busque deorsum nihil inordinatum relinquere : Vereor istos  
non alibi ordinandos , quām ubi nullus ordo , sed sempiternus  
horror inhabitat . O miserandam sponsam talibus  
ereditam paronymphis : qui adsignata cultui ejus , proprio  
retinere quæstui non verentur . Non amici profectò sponsi  
sed amuli sunt . Et de his satis quæ sub te sunt . Etsi  
non ad materia copiam , quæ est multa nimis : certè ad  
id quod proposui ego . Visenda jam quæ circa te sunt :  
sed ad ea , ostium nobis liber quartus aperiet .

**R**epetens sanctiones Canonicas , in Concilio Rhemensi ,  
Eugenio Praefide , emanatas , conqueritur S. Bernardus  
de earundem sanctionum inobservantia , imò impunes pa-  
sim reperiri transgressores ; sed inferiorum culpas , ad nul-  
los magis referendas esse , quām ad desides , negligentes-  
que Rectores , longa comprobavit experientia . Semper fuit  
impunitas incuriæ soboles , insolentiæ mater , impudentiæ  
radix , transgressionum nutrix . Cavenda proindè incurià  
à Superioribus , quæ prima est omnium malorum parens ;  
Superior ecclesiasticus semper providere debet , & prævi-  
dere , ut subditos suos in spiritu lenitatis avertat à malo ,  
& contineat in bono ; ubi opus est præeat exemplo , exci-  
tet cohortationibus , adjuvet orationibus ; sed etiam , ubi  
expedire compererit , debet increpare correctionibus , &  
transgressores Canonicis submittere poenis , ne ex impuni-  
tate oriatur incuria , & langueat disciplina Ecclesiastica ,  
quā languente confunduntur Ordines , nec cujus ordinis  
sunt Ecclesiastici , vix potest discerni ; quapropter à suo or-  
dine deficientes , certè non alibi poterunt ordinari , quām  
ubi nullus ordo , sed sempiternus horror inhabitat ; ut

igi-

igitur omnia ordinata sint in domo Dei, editæ fuerunt  
n Sacris Conciliis sanctiones canonicae, quarum plures ad  
ordinandam vitam, & honestatem Clericorum collimant.  
Sub nomine autem Clericorum veniunt personæ omnes, ad  
Dei servitium in Ecclesia Christi, per collationem Ordinis  
Ecclesiastici, sellectæ. Illi etiam quibus tantum prima ton-  
sura est collata, inter Clericos computantur, quibus insu-  
per ad stipulantur quotquot per professionem Religiosam, Deo  
specialiter se se in aliquo regulari instituto manciparunt,  
etiam si nullis postmodum fuerint ordinibus sacris, imò ne-  
que minoribus insigniti. Quales sunt Religiosorum institu-  
torum laici, sive conversi, qui propterea cum æquè gau-  
deant privilegio fori, etiam juxta leges à Sacris Canoni-  
bus, pro eorum statu præscriptas, debent suam vitam com-  
ponere, & honestate vitæ pralucere. Esto autem quòd  
in odiosis, sub nomine Clericorum, non veniant Episcopi,  
aut quicumque sunt in dignitate Ecclesiastica constituti,  
imò neque Canonici; nihilominus ubi agitur de observan-  
tiâ Canonum, circa vitam, & honestatem Clericorum, com-  
prehenduntur vel maximè Prælati, & quicumque digni-  
tate Ecclesiastica sunt insigniti, imò Religiosi omnes utrius-  
que sexus, sive profesi, sive laici. Clericorum itaque  
vitæ honestas, pro quâ dirigenda editæ sunt, diversis in  
Conciliis, maximè in Rhemensi sub Eugenio Tertio, di-  
versæ sanctiones, alia est interna, externa alia. Interna,  
quæ in recta intentione, & intimo virtutum exercitio reposita est, dirigere debet uniuscujusque conscienc-  
tia, & obligatio, quâ unusquisque, pro suo statu, tenetur  
proficere de die in diem coram Deo; & hoc sub graviori  
obligatione, quòd major est dignitas, ad quam quisque se  
in domo Dei sublimatum discernit. Quoad externam ve-  
rò honestatem vitæ, quam præcipue dirigunt Sacri Cano-  
nes, quâve lucere debet vir Ecclesiasticus coram homini-  
bus; ad hanc servandam tria requiruntur, abstinentia à  
peccatis in actum externum prodeuntibus, imò etiam à  
quibusdam actibus, quamvis per se licitis, non verò con-  
gruen-

gruentibus iis, qui Dei obsequio se se specialiter obtulerunt; secundò *integritas vitæ*, quæ maximè lucere debet in studio castitatis, sobrietate, mansuetudine, & sedula sacri Officii administratione; Tertio *decentia habitus Clericalis*, juxtà sacros Canone præscripta, & de hac externa Clericalis vitæ honestate, præcipuè agitur, non modò in Concilio Rhemensi, cujus capitula nunc expendimus, sed & in Concilio Tridentino sess. 22. c. 1. de reform. his verbis: *Quapropter sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos, vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præferant; levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.* Verba utique tam sacro digna confessu, & pernecessaria, ut in omnium Clericorum corde, & animo sculpantur tanquam in silice, ut juxta eadem quotidiè se se componere studeant. Si tam sacri Canonis vigeret observantia, non contingret passim obvios habere Ecclesiasticos, sive Sæculares ratione habitus, & quod magis dolendum, ratione morum contemptibles, instar mulierum comam crispantes, cyprio conspergentes, vel fictitiis crinibus se se ornantes, virgatas deferentes vestes, quos vix color à Sæcularium habitibus discernit; sive regulares, quærentes delicias in cilio, & sequentes, quoad possunt, vanitates, & insanias falsas. Secus ac præscribant sacri Canones, Clericis in habitu, in tonsura incidentibus, poena suspensionis, imò & privationis beneficiorum indicta. Sed quis est ex tot transgressoribus, qui pœnam indictam sentiat, & inflietam: pœna dictata, sed quando secuta. Impunes in habitu minus honesto incidentur Clerici: quid hoc? impunitas incurræ soboles, insolentiæ mater, radix impudentiæ, transgressionum nutrix. Numquam satis commendabiles Præfules illi, qui omni cura satagunt, malorum omnium primam parentem, in suis Dioecesisibus cavere incuriam. Summi Pontificis munus est super omnes invigilare Episcopos,

ut juxta Canones, suos dirigant Clericos in habitu, in tonsura, in moribus; transgressores verò, non modo sciant poenam indictam, sed etiam sentiant inflictam; Cæterum poena indicta, & numquam inficta, majorem dat ansam transgressoribus, & generat indicentibus contemptum; quapropter Superioribus Ecclesiasticis, in re tanti momenti, expedit identidem vellicare aures, præfatis S. Bernardi verbis, quæ utique non modicum debent timorem incutere omnibus, qui præsunt in domo Dei: *Inferiorum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides, negligentesque rectores: ad quorum desidiam excutiendam, statutum fuerat in Concilio Rhemensi, ut tamdiu ab officio Episcopali abstinerent, donec poenam constitutam Clericis, à debita honestate vitæ, & habitus declinantibus, imponerent. Peccat autem, qui in his, quæ disciplinam Ecclesiasticam concernunt, aut statuit, quæ teneri nequeant, aut dissimulat, sciens nihilominus quod statuta contemnuntur. Et de his satis, quæ sub te sunt, O si non ad materie copiam, quæ est multa nimis, certè ad id quod proposui ego. Visenda jam quæ circa te sunt, sed ad ea ostium nobis liber quartus aperiet.*





SANCTI BERNARDI ABBATIS  
DE CONSIDERATIONE  
LIBRI QUARTI  
CAPUT PRIMUM  
SYNOPSIS.

*Aeturus de his, quæ sunt circa Pontificem, presentis libri quarti tractationem orditur S. Bernardus; Eugenio significans, quæ propè habemus, nostræ commissa sollicitudini, quām sint cautè regenda, observanda, & custodienda, utpotè quæ vexationem augent, continua occupationi referant aditum, utilitatem minuunt, laborem accrescunt; quapropter opportuna consideratione sunt prævenienda, ne turbulentius irruant, imò ne obruant. Sub nomine verò eorum, quæ sunt circa Pontificem, spiritus tranquillitati adeò obnoxia, Pontificis animum tam dirè vexantia, quid intelligi debeat, quām sincerè, tam fidenter exprimit S. Doctor, zelo illo, quo semper astuabat, impellente, qui cum solius charitatis sit fætus, loquenti libertatem donat. Amor enim vincit omnia, quid ni zelus sincero, & sancto amore calescens, quævis prærumpat ob-*

*stacula, quæ fucare possent veritatem, cuius potissimum  
inopia reperitur in aulis. Itaque S. Bernardus, decoris  
domus Dei, & gloriae sponsi ejus, Summi Pontificis, ze-  
lator eximius, Pontificem monet, ut considerationem di-  
rigat ad domesticos suos; de his enim præcipue sermonem  
instituere intendit, dum in hoc libro, de his quæ sunt  
circa Pontificem, pertractare aggreditur: sub domestico-  
rum autem, & collateralium nomine, comprehendit Ro-  
manæ Curiae Ministros, & Pontificis aulicos.*

### S E C T I O P R I M A

*Si mihi plenius innotuisset, amantissime Eugeni, priora-  
qualiter acceptaris, secundum hoc, vel fidentius in re-  
liquum processissim, vel cautiùs; aut certè substitissim  
omnino. Nunc verò quid ob locorum distantiam, id mi-  
nimè datur, non mireris, si prodit exilior sermo, anceps,  
verecundè fateor, ad medium veniens.*

**I**N materia tam gravi, qualis est præsens, anceps æquè,  
ac verecundum prodit D. Bernardi eloquium; anceps  
quidem, quia ob locorum distantiam, nundum sibi ple-  
nius innotuerat, qualiter tres priores libri, jam ad Ponti-  
ficem Eugenium transmissi, fuissent accepti. Quamvis  
enim, Pontifice præcipiente, præsentes de Consideratio-  
ne libros, scriberet S. Doctor; nihilominus argumenti gra-  
vitas, præcipientis auctoritas, scribentis humilitas, anci-  
pittem faciebant scriptorem, simul & verecundum; maxi-  
mè quod discutiendarum rerum, quas pertractandas sibi pro-  
posuerat, poscēbat ordo, ut in hoc quarto libro, jam pro-  
pius accederet ad differendum de collateralibus Pontifi-  
cis, eorumque characterem exprimendo, adamassim innue-  
ret, quibus ornari virtutibus, à quibus deflectere vitiis  
tenerentur; arduam proindè assumebat provinciam; actu-  
rus nempè de Collateralibus, scilicet de Aulicis, de Mi-  
nistris, de Magnatibus, qui ut plurimum plus favent ma-  
jesta-

jestati , quām veritati ; plus gaudent adulari , quām cor-  
ripi ; plus diligunt retributions , quām Principem ; plus  
fortunæ famulantur , quām æquitati ; plus quæ sua sunt quæ-  
runt , quām quæ sunt Principis ; plus mundanis innitun-  
tur principiis , quām Evangelicis . Quapropter omni jure  
*exilior sermo* , ab humili S. Abbatे , *prosiliens anceps* , &  
verecundè veniebat ad medium , siquidem seniores populi ,  
orbis Judices , Romanæ Curiæ Magnates , Ecclesiastici prin-  
cipatus dinastas , Pontificis Collaterales , Regni ministros ,  
Eugenii domesticos , habere debebat Auditores , fortiri &  
criticos oculatissimos . Nihilominus , cum satis esset Divo  
Bernardo perspectum , quòd quisquis ad solam Dei gloriam ,  
Summo Pontifice , sive Deo per Summum Pontificem præ-  
cipiente , loqui aggreditur reformationem morum , abje-  
ctionem vitiorum , amorem virtutis ; cum steterit ante  
Reges , & præsides , cogitare non debet quomodo , aut  
quid loquatur ; datur enim à Deo , pro tempore opportu-  
no , quid loqui opus sit : verecundum quidem , sed since-  
rum , & sancto zelo ferventem , suum in præsenti libro ,  
S. Doctoṛ profert sermonem . Ignitum S. Bernardi elo-  
quium semper apparuit , sed in hoc quarto de Conside-  
ratione libro , ignitum apparuit vehementer , dum colla-  
teralium Summi Pontificis mores discutere , & ubi opus  
esset , ad meliorem frugem reducere intendit , ad hoc ut  
in domo Dei omnia ordinatè se habeant , & nihil coinqui-  
natum videre contingat , ubi maximè *Clerum illum ordi-  
natissimum esse decet , ex quo præcipue in omnem Ecclesiam ,  
Cleri forma debet procedere* . Nonnisi verecundè ad me-  
dium venire potest sermo , qui vitiorum verenda debet de-  
tegere ; tunc maximè , cum agitur de vitiis Procerum Re-  
gni , & Ministrorum , qui ut plurimum cum se se inde-  
fectibiles credant , egrè defectibus obnoxios apparere pa-  
tiuntur ; quapropter de suis vitiis altum volunt custodiri  
silentium : hinc est , quòd supra ministros , & domesticos suos ,  
plus quām supra cæteros subditos , oculati vivere debent  
Principes ; subditorum enim vitam , & mores , regni Pro-  
ceres

ceres satis superque, & sàpè plusquam par sit, discutiunt, ad trutinam revocant, excessus castigant; sed ministrorum errata, solum Principem habere possunt vindicem: sobrià proindè, & intenta consideratione, super eorum gesta opus esse, monet Bernardus Eugenium, & in eo omnes Principes, ut scilicet supra Procerum, Collateralium, & Ministrorum suorum acta, & mores, oculati semper incedant: Non enim omnes qui de domo Principis sunt, qui Principi quotidiè assistunt, qui incessanter dicunt Principi euge, euge, semper amici sunt Principis; quæ pro bono regimine magis congrua sunt suggerunt, aut faciunt, vel meliora proponunt, maximè cum scriptum sit: *inimici hominis domestici ejus.*

### S E C T I O S E C U N D A

*Primis itaque considerationis partibus, libris prioribus per tractatis, in manibus est de his addere, quæ circa te sunt, & ipsa quidem sub te, sed quò propiora, eò importuniora tibi.*

**I**Nimici hominis domestici ejus, ideo quæ propiora nobis, ut plurimum importuniora experimur; tunc maximè, cum inter dominum, & domesticos, quanta est locorum propinquitas, tanta est morum distantia; veh' domui, sub cuius tecto, inter dominum, & domesticos non viget consonantia morum; nonnisi turbulenti, ejus qui præest auribus, resonabunt clamores, eò importuniores; quò propiores; quibus, ut recludatur aditus, nullum opportunius, quam D. Bernardi consilium. Studeat Dominus, moribus compositos feligere domesticos, invigilet Princeps, ut ambulantes in via immaculatâ feligat Ministros, si pacificè, si cum gloriâ vult Principare.

## S E C T I O T E R T I A

*Nempè coram posita, incuriam non admittunt, non dissimulationem, non oblivionem. Vehementius urgent, turbulentius irruunt, verendum nè obruant. Circa ejusmodi, quām sobrià, & intentà consideratione opus sit: proprio te experimento edoctum satis non ambigo.*

**R**egni Proceres, & Regis domestici, semper adstant coram Principe: quò propiores eos habet Princeps, eò promptior esse debet ad emendandum, ubi deficienes animadverterit, nàm coram posita incuriam non admittunt, non dissimulationem, non oblivionem: Ubi suos aulicos permittat Princeps in vitiis tabescere, quomodo cæteros à vitiis avertet; ubi mala in domo sua non corrigit, quà ratione dissitos ab aula subditos, si quos noverit ad vitia proclives, emendabit. Non finè reatu, saltem incuriæ Domini, committi possunt à Regni Proceribus, ab aulicis, à domesticis excessus; *nempè coram posita incuriam non admittunt*: circa Collaterales suos sobrià, & intentà consideratione opus habere Principes, jam proprio experimento edoctos satis, non ambigo.

## S E C T I O Q U A R T A

*Alioquin si non cauta, opportunaque interveniat consideratio: occupatio continuabitur, & vexationis non erit modus, & sollicitudinis non erit finis. Non tempus vacuum, non liberum cor: Plus laboris, & minus utilitatis.*

**I**nter graves labores sive corporis, sive mentis, difficilè est, si non intentione, memoria saltem, & cogitatione, spiritum hominis aliquam non pati dissolutionem. Majoris est gratiæ privilegium, externis occupari laboribus, & interius, sine intermissione Deo vacare: vix datur corpore laborare, aut spiritu, absque jactura interioris suavitatis.

vitatis. Occupationes multæ aggravant animam, augent sollicitudines, vexationes multipliant, tempus absument, auferunt libertatem spiritus, itaut sub experientia magistra, confiteri necessè sit, quòd ubi plus laboris, ibi minus est utilitatis, *Ubi labores vehementius urgent, turbulentius irruunt, timendum ne obruant;* in multiplicitate laborum, sobria, & intenta consideratione opus habere, monet Bernardus Eugenium, & cum Eugenio omnes, sive in Regno, sive in Sacerdotio principantes, quippè quibus ratione sui muneris, irruentibus de die in diem occupationibus, ab eorum numero, & pondere obrui sàpè contingit; obrui inquam, quia ad canos deducti, jam instantे mortis limine, per quām raro, toto vitæ tempore, vix aliquando se intra se collegisse non ignorant, ut seriò considerarent de ratione villicationis reddendæ Domino illi, qui aufert spiritum Principum, & terribilis est apud Reges terræ; apud quem externæ excusatio occupationis, vexationis, & laboris non erit sufficiens, quandocumque contigerit laborem externum, etiam ratione muneris assumptum, animæ Prælatorum, Principum, aut aliorum quorumcumque, & quacumque dignitate fulgentium, fuisse detrimentum; cautè proindè, & opportunè considerare debent Superiores omnes, ne occupationes continuae ipsis plus pariant laboris, & minus utilitatis; & ne ubi viventes inter occupationum suarum sollicitudines, laboris non habuerunt finem; morientes deinde recipiant, pro suorum mercede laborum, damnationem; vel, quia ut par erat, recta intentione ad solam Dei gloriam, labores suos non direxerunt, vel quia plusquam opus esset, externis intenti laboribus, animam suam neglexerunt, totum vitæ suæ tempus dantes actioni, momentum non invenientes, quod darent orationi, & conscientiæ suæ discussiōni: Si quos hujusmodi est invenire, absque utilitate laborant, ipsisque competit, quod scriptum est: *Totâ die laborantes nihil cepimus.*

## S E C T I O Q U I N T A

*Dico autem instantia illa quotidiana ab Urbe, à Curia,  
à domestica Ecclesia tua.*

**U**RBS, CURIA, & DOMESTICA ECCLESIA, ILLA SUNT QUÆ PONTIFICIS AUGENT LABOREM; AN VERO CUM LABORIS AUGMENTO, ETIAM CONSCIENTIÆ UTILITATEM COMPONANT, INTERNI SPIRITUS QUIETI NON OFFICIANT, HOC OPUS, HIC LABOR; HOC INQUAM ILLUD EST, CIRCÀ QUOD SOBRIÀ, & INTENTA CONSIDERATIONE OPUS HABENT, QUI PRÆFUNDUNT, NE IPSIS AD EXTREMA DEDUCTIS, SED SERÒ NI MIS, EXCLAMARE CONTINGAT: TOTA DIE LABORANTES NIHIL CÄPIMUS. URBS, CURIA, & DOMESTICA ECCLESIA, UTIQUE PONTIFICIAM EXIGUNT SOLlicitudinem, sed omnimodam sibi vindicare non debent, cordis, & mentis occupationem, ne internam auferant quietem, quæ sola in cælestium consideratione perfruitur. HIS SALUTARIBUS MONITIS, NON INTENDIT S. BERNARDUS PONTIFICEM AYERTERE AB OCCUPATIONIBUS, CUM MUNERE PONTIFICO NECESSARIO CONNESSIS, QUÆVE IN URBIS, CURIÆ, & DOMESTICÆ ECCLESIA REGIMINE ABUNDANT. SED PRÆFULES HORTATUR, UT DETRAHANT QUOTIDIANÆ INSTANTIÆ, & AD HORAM SALTEM QUOTIDIÈ DIMITTANT SOLlicitudines, ut se intra se colligant, itaut in URBIS, CURIÆ, & DOMESTICÆ ECCLESIA SOLlicitudine, non æmulentur; & ad hæc ita intensum non impendant animum, ut postmodum habeant ad æterna, & interna remissum: hæc illa sunt, quæ juxta D. BERNARDI SENSUM, *Non verentur suscitare dilectam, antequam ipsa velit.*

## S E C T I O S E X T A

*Hæc inquam circa te sunt: Clerus, & populus tuus, cui specialiter Episcoparis; ac per hoc specialis curæ tenebris debitor. Hi quoque, qui tibi quotidiè assistunt, Seniores populi, Orbis Judices, & qui item de domo, & mensa tua sunt, Capellani, Cubicularii, Ministri quoque*

*diversis deputati officiis in obsequium tui. Hi te familiarius visitant, frequentius pulsant, molestiusque sollicitant. Hi sunt, qui non verentur suscitare dilectam, & antequam ipsa velit.*

**U**RBI, imò & orbi providere, quæ ad Romanam Curiam, ex toto orbe deferuntur, causas expedire, domesticæ Ecclesiæ prospicere, instantia sunt quotidiana, quæ frequentius pulsant, molestiusque sollicitant Pontificem: itidem circa Clerum, & populum, cui specialiter Pontifex Episcopatur, specialis curæ debitor tenetur, sicut & circa seniores populi, Urbis Judices, æquè ac circa suos domesticos, Capellanos, Cubicularios, cæterosque Ministros, in obsequium Pontificis deputatos, qui quòd familiarius Pontificem visitant, ideo frequentius pulsant, molestiusque sollicitant, & quòd propiores, eò sàpè importuniores facti, non verentur suscitare dilectam, antequam ipsa velit; idest removere ab orationis quiete, & considerationis studio, cui addictos esse expedit quoscumque, ad Ecclesiastica fastigia sublimatos; nam in pluribus Ecclesiasticorum Procerum aulis, experientia comprobat quàm verum sit Davidicum illud effatum: *inimici hominis domestici ejus*: Sàpè enim Episcopos plus à domesticis, quàm à cæteris subditis, in tota Dioecesi suæ providentiæ commissis, vexationem, & dissipationem mentis pati contingit; quia domesticæ curæ importunius eos pulsant, occupant animum, præoccupant spiritum. Potissimum itaque Prælatorum studium esse debet, domesticos habere moribus compositos, & amatores quietis, non minus propriæ, quàm sui Præfulis, ne importuniores facti, augeant regiminis Ecclesiastici pondus, per se satis arduum, etiam humeris angelicis verendum. Profectò difficile est invenire Dioecesim moribus compositam, in charitate unitam, ubi domus Episcopi turbulentos foveat domesticos, importunos nimis, frequentius pulsantes, molestiusque sollicitantes Pastorem; *sed coram posita incuriam non admittunt,* non

*non dissimulationem, non oblivionem.* Singularis curæ debitor tenetur Episcopus circa ea, quæ coram se sunt posita, nempè circa domesticos, atque ministros; siquidem ex eorum probitate, ut plurimum pendet totius Dioecesis compositio. Hinc est quod adeò sollicitè urget Bernardus Eugenium, & in eo omnes Prælatos, ut circa domesticos suos, & ministros, oculatissimi vivant, & incuriam non admittant: hac de re etiam Apostolus suum monuit Timotheum: *Epist. 2. Oportere Episcopum esse domui suæ bene præpositum, nam si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesia Dei diligentiam habebit.* Difficile est Episcopum amplecti eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, potentem esse exhortari in doctrina sana, si domesticos contradicentes, sua nutriat in curia, & vereatur arguere.

## C A P U T S E C U N D U M

### S Y N O P S I S.

*De Cleri Romani moribus, & quales esse oporteat, in præsenti capite sermo instituitur; siquidem ad normam Ecclesiasticorum Romanae Curie, cæterarum omnium Ecclesiarum Clericos componendos esse, non est qui ambigat; itidem de populi Romani moribus differit: qui tempore D. Bernardi, instigante Arnaldo Brixiensi, valde erant corrupti. Emendationi, & curæ subditorum suorum, si nè intermissione, Prælati debent semper insistere; nec officit quod subditi aliquando non emendentur, quamvis indefessè Superiores emendationem requirant; Deus enim, ab Ecclesiasticis Pastoribus, ovium suarum curam exigit, non curationem; quapropter sacri Operarii secundum laborem, non juxta proventum laboris, mercedem sunt recepturi. Malæ consuetudines frustrâ abusibus, & vitiis obtenduntur. Veterum Pastorum cum præsentibus fit comparatio. Tales nunc desiderat, quales olim habuit Ecclesia:*

sia: Hinc occasionem nactus S. Bernardus, Ecclesie primitivæ statum comparat cum moribus eorum, qui suo ævo adeò erant in Urbe bonis moribus infensi, nempe cum Arnaldistis, quorum perditio mores ansam dedere Bernardo, ut in increpationibus corriperet tunc temporis homines, Romæ debaccantes, & eorum vi rationi prævalente, factum est, ut expulsis Romanis Proceribus, cæterisque omnibus patritiis, Eugenio adhaerentibus, Arnaldistæ, qui ferè omnes erant exteri, se veros Cives Romanos esse gloriantur; proindè Senatus antiqua jura repetere contendeant: ubi notatu dignissimus est zelus S. Bernardi, qui ad solam Dei gloriam collimans, adeò liberè scripsit, quis talia nunc diceret, aut scriberet impunè, & tamen mores hodie, in quibusdam regionibus corruptissimi, similem, vel acriorem mererentur censuram.

### SECTIO PRIMA

*Et primo quidem Clerum illum ordinatissimum esse decet,  
ex quo præcipue in omnem Ecclesiam Cleri  
forma processit.*

**H**æc est potissima Romanæ prærogativa Ecclesiæ, quæ super cæteras fulget, & præeminet Orbis Ecclesiæ, ut ex ea, utpotè ex majori Orbis Catholici luminari, cæteræ omnes accipiant, tamquam de lumine lumen; quasi Sol in firmamento Ecclesiastico refulgens, reliquis per Orbem dispersis Ecclesiæ suum impertitur fulgorem. Ab Urbe Roma, ubi Christi Vicarius confidet, rectam vivendi normam, Prælatitiæ dignitati consonam, omnes Ecclesiæ universalis Præfuges, debent ediscere. Ad illorum Ecclesiasticorum formam, qui supremo quotidie adstant Pontifici, debent reliqui Sacerdotes se se componere. Magnum profecto Curiæ Romanæ onus, magnum opus, si Pontifex, si Præfuges, qui adstant Pontifici, debent se exemplum præbere bonorum operum in doctrina, in gravita-

vitate, in verbo fano, & irreprehensibili, omnibus totius Orbis Ecclesiasticis; itaut quicumque exadverso sunt, vereantur, & nullum possint dicere malum de Curia Romana. Si ita est, ut planè esse debet, *debet utique Clerum illum ordinatissimum esse, ex quo præcipue in omnem Ecclesiam Cleri forma debet procedere.* Una inter præcipuas Ecclesiæ tentationes hæc esset proculdubio, si informis appareret in conspectu gentium Clerus ille, *ex quo præcipue in omnem Ecclesiam debet Cleri forma procedere.* Si juxta quod in Hieremia legitur c. 12. v. 13. *Cleri eorum non proderunt eis;* quem scripturæ locum, malis Clericis accommodat Hieronymus, Epistola ad Nepotianum: & Sanctus Epiphanios Epistola ad Joannem Episcopum Jerosolymitanum. Neque minoris est ponderis, omnium Episcoporum obligatio; sicut enim Romanæ Curiæ debitum est, universo Orbi prælucere exemplo bonorum operum, ita cujuscumque Episcopi, & suæ domus debitum est, exemplo pariter bonorum operum, totam illustrare Dicæsim, suæ fidei commissam. Veh' *si Cleri eorum non prodeunt eis;* Veh' si Episcopus, aut qui ex domo sua sunt, se se non exhibeant dignam formam totius gregis. Veh' magis horrendum, si ex Episcopo, aut ejus Collateralibus, in perniciem subditorum, prodirent scandala. Sed jam revertamur ad Clerum illum, à quo in omnem Ecclesiam debet Cleri forma procedere. Absit, absit quòd prodeant ex Clero Romano Ecclesiastici, spiritu carnis suæ inflati, inanis gloriæ cupidi, qui quæ sua sunt querant, non quæ Jesu Christi; qui ipsa Ecclesiasticae dignitatis officia, in turpem quæstum, & tenebrarum negotium convertant, nec salutem animarum, sed luxum querant divitiarum: ad hoc solum frequentantes Ecclesiam, missam celebrantes, psalmos in Basilicis decantantes, quasi pro obtainendis Episcopatibus, Abbatii, aliisque dignitatibus decertarent, & ut deinde Ecclesiarum redditus, in superfluos, & vanos usus disperderent; itaut Ecclesia dolere posset, caput suum esse contritum ab eis, qui potissimum invigilare deberent

berent ad indemnitatē Ecclesiæ ; quapropter dolente capite , etiam Ecclesiæ membra dolori succumbere coguntur . Dolor capitū in membra redundat . Statim Ecclesiastici per orbem dispersi expenderent substantiam suam vivendo luxuriosè , si Clerus Romanus , à quo debet in omnem Ecclesiam Cleri forma procedere , luxui appareret addictus , abuteretur sacris proventibus , de patrimonio Christi impinguaret carnes , adornaret equos , currus deauraret , & in capitibus omnium platearum Romæ , dispersi apparerent lapides Sanctuarii . Lepides Sanctuarii sunt Prælati , sunt Collaterales Pontificis , sunt Seniores Ecclesiæ , Orbis Judices , Ministri à Pontifice diversis deputati sublimioribus officiis : Hi sunt capita populi Dei . Veh ! Si hæc capita langueant in cupiditatibus suis ; ubi languor erit in capitibus , meror apparebit in cordibus . Omne caput languidum , consequens est , quod omne cor sit mærens ; quia ergo languor est in capitibus , mæror obortitur in cordibus . Membra Ecclesiæ sunt Ecclesiastici per Orbem dispersi , capita verò , qui ad primarias in Ecclesia sunt dignitates selecti . Veh ! Si capita respiciant invanitatem , & insanias falsas ; ubi apud Prælatos invalefacit cupiditas , non potest , & in membris non refrigescere charitas . Decet itaque Clerum illum ordinatissimum esse , ex quo debet omnis Cleri forma procedere . Veh Ecclesiasticis omnibus , sed his præcipue , qui de Clero Romano sunt , si solam habentes speciem pietatis , ejus virtutem operibus abnegarent . Species , & forma exterior habitus Magnatorum Ecclesiæ , inducta est ad exhibendam speciem pietatis , & virtutis , de qua parum , in aliquibus Proceribus est invenire , quamvis pudor sit confiteri , nimium tamen manifestum apparet . Quæ est enim virtus pietatis , nisi charitas non ficta , humilitas vera , patientia longanimis , obedientia non segnis . Proh dolor si invenire esset Ecclesiasticos , qui nomina quidem virtutum , quibus insistere debent scirent , & saporem adhuc ignorarent : nonne iis pudorem pariter , & timorem incutere de-

deberet habitus quem gerunt, sive Prælati sunt, sive Juges, sive Ministri sublimioribus deputati Ecclesiæ officiis, si contingat nullum ipsis suffragari testimonium virtutis. Quomodo enim tutò usurpare valeant excelsæ dignitatis, quam occupant nomen, si dignitatis obtentæ meritum non habeant, & virtutem. Propterea Ecclesiastici omnes, sed illi præcipue qui de Clero Romano sunt, ut tutò gloriari possint, in hac quæ corpora sua decorata sunt specie pietatis, ratione obtentæ dignitatis, ponant corda sua in virtute ejus, ut species in corporibus, virtus in cordibus, probatos illos, & cognitos exhibeat Orbi universo, sitque quod scriptum est: *Omnes qui viderint eos cognoscere illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus;* Unde in omnem Ecclesiam possit ex illis *omnis Cleri forma procedere.*

## S E C T I O S E C U N D A

*Deinde omne quod perperam agitur te præsente,  
est tibi turpius.*

**S**ubditorum excessus Superior videns, & non corrigens, eorumdem approbator censetur; proindè omnium reatum se complicem facit, qui cum possit, & ex munere debeat, emendare detractat. Tunc agit opus suum Superior, cum portat omnes, & portando sanat, quos sanandos portat. Superiorum gloria est compositos habere domesticos, ignominia verò ferre indisciplinatos: *Omne quod perperam agitur Superiore præsente, est illi turpius.* Quò excelsior Superioris est dignitas, eò turpior in ejus conspectu comissus excessus. Non sufficit ei, qui præst, mala non facere, nisi studeat & impedire. Qui non prohibet peccare, cum prohibere potest, jubet; nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori negligit obviaire. Censetur peccati auctor, qui opportuna auctoritate fretus, nihilominus negligit esse interdictor. Superiorum

om-

omnium, sed præcipue Ecclesiæ Præsulum gloria hæc est, si dicere possint: *Non sedi consilio iniquitatis; qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescemus;* tacere non licet, cui ex officio incumbit peccatores emendare.

## SECTIO TERTIA

*Interest gloriae sanctitatis tuae, ut quos præ oculis habes;*  
*ita ordinati sunt, ita informati, quatenus totius honestatis,*  
*& ordinis ipsi speculum, ipsi sunt forma: inveniantur*  
*præ cæteris oportet expediti ad officia, idonei ad Sacra-*  
*menta, ad plebes erudiendas solliciti, circumspecti ad*  
*se se custodiendos in omni castitate.*

**V**erus Ecclesiasticorum character, illorum præcipue qui adstant Pontifici, ex quibus in omnem Ecclesiam Cleri forma debet procedere, hic perstringitur à D. Bernardo, qui paucis quidem, sed multa dignis consideratione sensibus, non modo multa, sed & omnia complectitur, quæ dignum possunt componere Ecclesiasticum. Vir Ecclesiasticus, totius honestatis, & ordinis esse debet speculum, ad cuius aspectum suos ordinare mores universa plebs possit; itaut in ejus actibus, in ejus moribus, in ejus ore, & opere nil appareat informe, nil quod libertatem sacerdalem redoleat, nil quod muliebrem sapiat levitatem, nil affectatum in sermone, in incessu, in habitibus, in ipsamet domestica supellestili: sciens, quod sicut injuria est alicui militiam profitenti dicere, quod delicatus sit miles, magis exosum est Ecclesiasticae militiae addicto, si de eo dici possit, quod delicatus sit Ecclesiasticus. Plures utique in domo Dei sunt Ecclesiastici; sed quo plures sunt numero, faxit Deus, ut pauciores non sint merito. Plures simulatione, pauci fide; specie non virtute; commixtione sacerdiali, non vinculo spirituali; carnis adjunctione, non cordis unitate: merito debet illustrari dignitas

gnitas Ecclesiasticorum , nobilitate morum , exercitatione virtutum , instantia bonorum operum ; quapropter afferit S. Bernardus oportere Ecclesiasticos , *esse expeditos ad officia , idoneos ad sacramenta , ad plebem erudiendam sollicitos , circumspectos ad se se custodiendos in omni castitate* ; illos maximè , quos Pontifex habet sub oculis suis , ex quibus in omnem Ecclesiam Cleri forma debet procedere , opus est ut ità sint ordinati , ità informati , quatenus totius honestatis sint speculum , totius ordinis forma . An verò tales se exhibeant , qui sacerdotalium domos conversationis gratia , quò magis frequentant , rarius videntur in Choro , ut divini Officii pensum absolvant , plus ad confabulationes , quām ad plebem erudiendam solliciti , magis ad propria quærenda commoda , quām ad Ecclesiasticae disciplinæ observantiam vivunt intenti , ipsi sint judices . Quis sentiat Ecclesiasticos illos *circumspectos vivere ad se se custodiendos in omni castitate* , qui adeò frequenter conversantur , quamvis devoto , fæmineo tamen cum sexu , ad cuius aspectum semper periclitatur castitas , cuius quotquot zelati sunt custodiam , scimus pepegisse foedus cum oculis suis , ne vel procul , in fæmineo vultu , suos figerent oculos , tantum abfuit ut paterentur familiares eorum congressus ; utique totius Ordinis formam se exhibere non potest , qui ut plurimum conversatur , ubi nullus est ordo , ubi sola est amica libertas , ubi noctes vertuntur in dies . Verus Ecclesiasticus , quia tamquam totius ordinis forma debet cæteris prælucere , debet ab omni suspicione vitiorum alienus vivere ; ex bona opinione , quantum sit ad sanctimoniam compositus , debet innotescere , & in omni opere suo , se debet semper probare æmulatorem virtutis .

## S E C T I O Q U A R T A

*Quid de populo loquar , populus Romanus est , nec brevius potui , nec expressius tamen aperire de tuis Paræcianis quid sentio . Quid tam notum sâculo , quam protervia ,*

To. II.

Q

Opfa-

*& fastus Romanorum, Gens insueta paci, tumultui affue-  
ta, gens immitis, & intractabilis, & usque adhuc subdi-  
noscia, nisi cum non valet resistere.*

**Q**ua occasione, quo ductus motivo, Bernardus adeò asperè Romanos increpet, jam satis expressimus in introductione ad opus, ubi etiam constat, sub nomine Romanorum, quos hic Bernardus tamquam protervos, tumultuosos, immites, & intractabiles redarguit, non alias intellexisse, quam Arnaldistas, & Arnaldi fautores, quo hæretico factionem inflammante, antiquæ Reipublicæ, & libertatis formam restituere nitebantur, solà sacrorum cura Pontifici relicta; necnon vestigalia, quæ Romano Episcopo, utpotè vero, & legitimo Romanorum, etiam in temporalibus Domino, debentur, sibi vindicare contendebant; jubentes Pontificem decimis, & oblationibus tantum, more prisco contentum vivere, ex qua contentione excitata Romæ rebellio, & in Eugenium Tertium acrius concitata. Hunc fuisse D. Bernardi sensum, colligitur ex ejus Epistola 243. Huic sensui adhærent Otho Frisingensis in Chron. lib. 7. cap. 31., & Baronius ad annum 1145. Esto inter factiosos, ab Arnaldo contra jura Pontificis concitatos, plures fuisse ex minuta plebe Romanos; longa semper comprobavit experientia, in omnibus rebellionibus contra legitimum Principem excitatis, nonnisi viliorem plebem consuevisse facere tumultum, quæ sæpè in populi furore prævaluit, ex quo aliquando factum est, ut aliqui ex nobilioribus, aut metu inducti, aut per fas, & nefas compulsi, rebellionibus adhærerent, aut adhærere fingerent. Ceterum nobiliores concives urbium, quas legimus aliquando ad rebelliones excitatas, semper ut plurimum, suo Principi debitam servasse fidem, & devotionem, notabili quamvis facultatum suarum cum detimento, non ignoramus; Sicut & in præsenti rebellione, Romæ contra Eugenium commota, contigisse historici perhibent; nihilominus, quæ in Urbe rebellio prævaluit, statim tota Urbs

Urbs hanc apud Scriptores passa est injuriam, ut rebellis nuncuparetur, proterva, tumultuosa, immitis, & intrastabilis, quia bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu: Nihil tamen integratius, & decori concivium, qui fideles in devotione, erga suum Principem, tumultuante plebe, permanerunt, officere unquam potuit vilioris plebis rebellio, & protervia. Negari utique haudquaquam potest, quod populus Romanus contra Eugenium, instigante Arnaldo, rebellionem fecerit, quem proinde populum insuetum paci, tumultui assuetum increpat in hoc capite S. Bernardus, ad primos nascentis Romae mores alludens, quae cum ex collectione perditorum virorum, ut omnibus notum est, coaliisset in Rempublicam, quodammodo ferocitatem, quam in lacte genitorum suorum suscit, transfudit ad posteros, qui proinde ad plura saecula vixerunt insueti paci, tumultui assueti, protervi, fastus amantissimi, subdi nescii, nisi cum non valuerunt resistere; usque dum propulsata gentilitate, fidei lumine illustrati, & in schola Evangelii edocti, totius Orbis aedificatione, & exemplo, Urbs statim apparuit ad omnes saniores mores composita. Quod autem S. Bernardus, post tot saecula, in quorum circulo Roma, per suos probatissimos in omni probitate Concives, tot perlibuerat suae integritatis testimonia, adhuc de Romanis scripsiterit, *Gens insueta paci &c.*, liquido constat appellare voluisse ad primos nascentis Romae mores, quos in Arnalditis tumultuantibus, quasi reviviscentes redarguebat. Certum enim est, sub nomine Romani populi, non alios intellexisse exprimere, quam viliores ex plebe, Arnaldi Brixensis fautores, qui contra Romanos Patritios, in Pontificis obsequio indefessos, ratione multitudinis prævaluerant: Minutum populum in omnibus Urbibus, numero semper prævalere nobilibus, non est qui ignoret; quapropter ubi de excita-re rebellione agitur, ut plurimum præponderat vilioris plebis sensus, ad rebellionem proclivis; quippe quæ semper invidi oculo divitias, quibus nobiliores affluunt, respiciens

tamquam sibi subtractas , & malè compartitas , imò ut potè ad suam sublevandam inopiam , sibi si non in toto , saltem in parte debitas , rebellionum occasionem querit , & latanter amplectitur , sciens nullum magis opportunum tempus posse nancisci , suæ egestati propitium , quām tempus rebellionis , quo videtur impunè posse alienas facultates surripere , & suæ necessitati subvenire . Interim quā in Urbe rebellionis calamitas excitatur , licet à minuta plebe , & insolentiori populo solummodo sit commota , quantumvis nobiliores Urbis , suo Principi rebellis factæ , in sui Principis devotione fideles perseverent , tota Urbs indiscriminatim , tamquam rebellis , & proterva , insueta paci , tumultui assueta , immittis , & intractabilis , subdi nec scia , nisi cum non valet resistere , proclamatur . Hanc Roma injuriam passa est , excitante Arnaldo , cum suis fautoribus , contra Eugenium rebellione . Nihilominus Romanæ Urbis Nobiles , & Optimates , quorum gloria merita numquam satis ab omnibus scriptoribus commendantur , qui in pace , & bello , prudentia , consilio , & glorijs gestis semper patriam illustrarunt , *viri sublimes , illustres , gloriosi* etiam à D. Bernardo in prælaudata Epistola nuncupantur , & commendantur . Undè apertè patet , Sanctum Bernardum , in hoc libro de Consideratione , scribentem : *Romanos esse protervos , infuctos paci , tumultui assuetos , immittes , & intractabiles* ; ad minutum populum , tunc temporis contra Eugenium , Arnaldo Duce , ad rebellionem seductum , suos direxisse sensus ; quod & apertè profitetur in præfata Epistola his verbis : *Is populus , quem nihilominus constat esse seductum* . Seducti utique non fuerunt Nobiles , & Optimates , qui Eugenium profugum secuti , bonorum suorum direptionem , ab Arnaldistis tumultuantibus invicto animo pertulerunt , imò non modò in direptione bonorum , sed etiam in perferendis cruciatibus , suam probarunt constantiam , & devotionem erga Pontificem ; quandoquidem plures ex Nobiliaribus , & Optimatibus Urbis , quibus Eugenium comitari profugum , datum non fuerat ,

rat , à furore populi , qui eos noverat in Eugenii devo-  
tione constantes persistere , ludibria , flagella , irrisiones ,  
& cruciatus perpepsi sunt . Non ergo contra veros Patri-  
tios , & Urbis Proceres , sed contra Arnaldistas , D. Ber-  
nardus calatum acuit .

### S E C T I O Q U I N T A

*En plaga tibi incumbit , cura hæc , dissimulare non licet.*

*Rides me forsan fore rem incurabilem persuasum , noli  
diffidere , curam exigeris , non curationem ; denique au-  
diisti , curam illius habe , & non cura , vel sana illum .*

*Verum quidam dixit . Non est in medico , semper releve-  
tur ut aeger .*

**N**E umquam desperent , sed nihilominus semper ti-  
meant , de suo munere rectè adimplendo , quicumque  
in Ecclesia ad Prælaturas assumpti sunt , hic commonen-  
tur de indefessa ab eis impendenda cura animabus , quām  
exigit Altissimus , quamvis optatam curationem sortiri non  
valeant ; propterea attendant sibi , quicumque opus Mini-  
sterii hujus sortiri sunt , & oneroso ministerio , quod ip-  
sis creditum est , ut animas suæ fidei commissas à vitiis  
subtrahant , ad virtutes excitent , in semitam rectam deduc-  
cant . Fortè incurabilem sibi persuadent hanc plagam ; no-  
lint diffidere , cura ab eis exigitur , non curatio . Cura exi-  
gitur , ò magnum timoris argumentum : curatio non exi-  
gitur , ò magnum spei , & confidentiæ subsidium . Cura  
exigitur , proindè boni follicitique pastores cessare non de-  
bent impinguare animas , sibi commissas , bonis exemplis ,  
magisque suis , quām alienis ; esto quod adhibitè cura  
proprii exempli , animæ , ad quarum curationem invigilant ,  
non proficiant , non sanentur . Curationis exitus supernæ  
pietati est relinquendus , ut quod minus est efficax in exem-  
pto Superioris , suppleat divina clementia , & quod per-  
peram , ipsa corrigat . Interim bonus Pastor curare de-  
bet ,

bet, ut secundum Evangelium, habeat sal boni exempli in  
 semetipso; quia sermo sale conditus, quantum placuerit  
 ad gratiam, tantum proderit ad curationem. Sciant igit  
 tur Prælati, & incessanter considerent, ad quid sublimati  
 fuerint ad Cathedram: proculdubio ad indefessam curam  
 animarum, ut fortes sint ad propulsandas injurias, quas  
 ab animabus infirmis patitur Christus; ut sint spirituales  
 ad deprehendendas insidias; fideles, ut non quæ sua sunt  
 quærant, sed quæ Jésu Christi; cum multa diligentia, Ec  
 clesiasticæ disciplinæ censuram custodientes, adeò perne  
 cessariam ad mores corrigendos; semper intenti ad cu  
 ram animarum, quam sine intermissione exigit ab eis Alt  
 issimus; Itaque de cura non exhibita, non de curatione  
 non obtenta, reddent rationem Superiores. Veh' Pastori  
 bus, qui in hoc munere adimplendo desides apparebunt  
 in extremo judicio: desidia Praelatorum est perditio ani  
 marum; proindè ad illos, si qui fortè inveniuntur, vox  
 illa Domini, quærimoniam exprimens per os David: *Amici  
 mei, & proximi mei adversum me appropinquaverunt, &  
 steterunt;* steterunt inquam adversum me, quia curam  
 animabus, quas meo redemi sanguine, ut par erat, non  
 impenderunt, aequè in opere desides, ac in sermone.  
 Justa omnino quærimonia, ad nostram fortè etiam referen  
 da ætatem, in quæ parum est pluribus pastoribus, quòd  
 non servant, quod non curant oves suas, nisi & perdant;  
 alto quippe demersi oblivionis somno, ad nullum domi  
 nicæ comminationis tonitrum expurgiscuntur, ut suo mu  
 neri pastorali satisfaciant, ut vel suum ipsorum pericu  
 lum expavescant: indè est quòd curam aliis non impen  
 dunt, qui non sunt de propria solliciti; non parcunt suis,  
 qui non parcunt sibi, perimentes pariter, & pereentes.  
 Quisquis in Ecclesia Dei curam animarum suscepit, sta  
 tim ac se oneri sui ministerii alligavit, eodem momento  
 noverit se factum Deo debitorem curæ, à quæ pastorale  
 munus indivisibile est, & quòd frustra de sui novitate  
 ministerii, aut de imperitia excusationem assumere con  
 tende-

tenderet; Deus enim qui ad ministerium seligit, etiam necessariam gratiam, ad munus implendum, impertitur: excusatio insufficientiae, sterilis verecundia est, quae grata esse Deo nequit; sicut nec humilitas praeter humilitatem laudabilis: ad ministerium ergo, & ad debitum suum attendat, quisquis animabus à Deo præficitur. Cura exigitur, non curatio. Sed non sum, (dices) ad ista sufficiens, & frustra cura impenditur, ubi malum incurabile exhibetur. Quidquid nihilominus sit de malo incurabili, cura exigitur, non curatio; de solo tuo debito respondere paratus esto, securus de reliquo; si dare non potes omne quod debes, dà quod potes, nempe quod habes; quod enim non habes, à te non exigit Deus: de solo credito talento respondere debes, si multum acceperisti dà multum, quod si modicum est, & id tribue, scilicet age quod agis, quantum potes, quantum sis, quantum vales; memento opus esse dare voci tuae vocem virtutis, nempe ut opera tua verbis concinant, imò verba operibus; bonam exhibes curam, si curas prius facere, mox docere. Tria, ad bonam animabus commissis impendendam curam, Episcopo necessaria: exemplum, verbum, & oratio. Vocis virtus est opus, sed & voci, & operi gratiam, efficaciamque prometur oratio.

### S E C T I O S I X T A

*At melius de tuis propono tibi. Paulus loquitur. Plus omnibus laboravi. Non ait: plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificavi: Verbum insolens religiosissime vitans. Alias autem noverat homo, quem docuit Deus, quia unusquisque secundum suum laborem accipiet, non secundum proventum. Et ob hoc in laboribus potius, quam in profectibus gloriandum putavit, sicut alibi quoque habes ipsum dicentem. In laboribus plurimis. Ita quæso fac tu quod tuum est: Nam Deus quod suum est, satis absque tua sollicitudine, & anxietate curabit. Planta, riga, fer*

*fer curam, & tuas explicuisti partes. Sane incrementum, ubi voluerit, dabit Deus, non tu; ubi forte noluerit, tibi deperit nihil, dicente Scriptura: Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum suorum. Securus labor, quem nullus valet evacuare defectus. Et hoc dixerim, absque prejudicio divinæ potentiae, & bonitatis. Scio induratum esse cor populi hujus: sed potens est Deus de lapidibus ipsis suscitare filios Abrahæ. Quis scit si revertatur, & cognoscat: convertat, & sanet eos. Sed non est proposui mei, dictare Deo quid facere debeat; tibi utinam possum, quæ oportet, & prout oportet, suadere.*

**O**Mnibus in operibus nostris, plus computat Dominus affectum, quam pensum, plus laborem, quam frumentum, plus intentionem, quam rationem: in nostro munere adimplendo, querit a nobis Deus, ut faciamus quod nostrum est; laborum autem nostrorum exitus, Divinae dispositionis, & providentiae opus est; proinde quisquis ad Episcopalem curam assumptus es, planta, riga, inita opere, sermone, & oratione, & tuas explevisti partes: reddet Deus mercedem laborum tuorum, etiam si pro sua dispositione inscrutabili, dare noluerit laboribus tuis optatum incrementum. Securus labor, quem nullus valet evacuare defectus; propterea labor tuus sit assiduus, sit indefessus, sciens quod pro ratione labris, non modo congruam, sed superabundantem retributionem semper sis recepturus. Duræ forte cervicis populus est, cui præs, intractabilis, immorigeratus: emendari posse impossibile arbitraris: plagam credis incurabilem: non officit, siquidem non est impossibile apud Deum omne verbum; quidquid itaque sit de exitu, curam age, remedium applica exempli, verbi, & orationis; tibi incumbit cura haec, de exitu noli esse sollicitus; curationem, ubi voluerit, faciet Deus; quod si forte noluerit, tibi deperit nihil; neque potes desinere facere quod debes, quia Deus facit quod vult; incrementum quod pro tuo labore, hodiè non vult dare Altissimus,

simus, fortè cras abundantius exhibebit: tibi cura incumbit, curatio tota est opus divinæ miserationis, & ob hoc *in laboribus potius, quam in profectibus gloriandum.*

## SECTIO SEPTIMA

*At locus dubius, & scrupulosa incidit disputatio. Nam ubi adoriar dicere, quod sentio? Video satis quid imminet. Clamabitur insuetum: Nam justum negari non poterit. Ego vero, ne insuetum quidem assenserim. Nempe assuetum fuisse scio, ac per hoc in dissuetum potuisse venire, sed non redire in insuetum. An vero assuetum quis neget, quod constat non modo aliquando factum, sed aliquandiu factitatum.*

**H**Æc est corruptæ ætatis calamitas, ut quod magis est aequum, ferè magis clametur insuetum. Hinc sit ut nova statuta, quæ ad reparandam languentem disciplinam Ecclesiasticam, ad obviandum vitiis, ad excolendas virtutes, à zelo Prælatorum promulgantur, statim tamquam insueta proclamantur, ab illis maximè, quibus nimis grave est, intrà terminos Ecclesiastici decoris incedere; sui muneris debito satisfacere; in suo quem profiteri tenentur humilitatis statu se continere; ea solum, quæ aequitas commendat perficere; propterea tamquam insuetum poenè contemnitur omne mandatum, quod libertatem, ad quam natura nostra inclinat, excludit. Exigit Prælatus à Clericis honestatem habitus, & statim clamant; *insuetum, insuetum.* Prohibet sæcularium domorum frequentiam, ad publica spectacula accessum, alearum usum, venationis abusum, & statim clamant, *insuetum, insuetum;* At quando insuetum, si hæc omnia statuta, jam à priscis temporibus adeò inculcarunt sacri Canones, à quorum studio, & observantia, corruptela nostræ ætatis docet plures Ecclesiasticos vivere alienos; sed non ideo insuetum proclamari potest, quod potius humana malitia facit

To. II.

R

ve-

venire in dissuetum. Non insuetum, sed dissuetum clamare debent, qui exosæ libertatis amatores, nonnisi ægreferunt reparationem abusum, quos inter Ecclesiasticos humana malitia jamdiu fecit consuetos. Clament autem libertini quantum sapiunt, quantum possunt *insuetum*; nihilominus liberè debent Præfules se se opponere, & contradicentibus resistere fortes, obſistentium non metuentes clamorem, *insuetum* vocem non expavescentes, & ubi opus fuerit, prompti agonizare pro justitia, & ad vindicandam collabentem disciplinam Ecclesiastica, se se exhibentes paratos, & in carcerem, & in mortem ire; utique abiit in dissuetum, sed non fuit insuetus inter Ecclesiasticos candor morum, ex quo primitivæ Ecclesiæ mutatus est color optimus. Quis neget per plura sæcula invaluisse in Ecclesia sacrorum Canonum observantiam, quam nunc adeo difficile est ad praxim revocare, ex quo prævalentibus non modò inter sæculares, sed etiam inter Ecclesiasticos vi- tiis, ità invaluit ambitio, ut confunderet ordines, avaritia ut extenuaret eleemosynas, luxus ut disperderet in superfluos fastus facros proventus, cupiditas ut accumula-ret in uno beneficia, quæ plurium congruae sustentationi sufficerent; quemadmodum adhuc in præsens satius esset factitari, sicut aliquando factitatum negare non possumus, tunc cum Ecclesiastici humilitati addicti, ab ambitione alieni, à cupiditate immunes, facros proventus in facros usus impendebant, & uno contenti beneficio, pluralitati non inhibabant; sed hac nostra atate corrupta, si quis Prælatus eniti velit, ut castigatus vivendi modus juxta facros Canones reflorescat, statim à pluribus clamatur *insuetum*, cum tamen justum esse negari non possit; imò ne insuetum quidem nemo in sacris fastis vel leviter versatus affenserit, quandoquidem assuetum fuisse negari haud quaquam possit, ac per hoc venisse in *dissuetum*, sed nunquam clamari potest *insuetum*; insuetum nihilominus videtur illis, quos irretivit, & implicavit vis male consue-tudinis, de quibus legitur: *Operti sunt iniquitate, &*

im-

*impietate sua*, ut non facile evolvere, & explicare ab illa se valeant; sic enim plures Ecclesiastici, quasi cute quadam operti, & involuti sunt vitiorum consuetudine, ut illam dedisceret, ab illa dessuescere, illis non tam expoliari sit, quam excoriari; facile enim yitia, etiam remissioris licentiae favente opportunitate, trahuntur in affectum, & quasi naturalia efficiuntur; Consuetudo enim est velut altera natura; inducta in vitiis consuetudine, ubi de correctione, & resipiscientia agitur, statim excæcata mens, & vitiis consueta clamat: *insuetum, insuetum;* Magna utique est vis malæ consuetudinis, cui enixè obfistere debent superiores; siquidem omnes abusus ex aliquo malæ consuetudinis usu, ut plurimum suam ducunt originem; vitiata verò consuetudo, quanto diutius, tanto fortius menti inhæret, eò fortioribus remediis eget, ut extirpetur; quapropter curam exigit diligentiorem: nam nisi assiduo studio, & prudenti opera expugnetur, leniti quidem potest, vinci verò vix potest. Enixa igitur sollicitudine, quotquot præsunt, invigilare debent, ne virtutes abeant in dissuetum, & vicia in assuetum, quia vicia, quæ consuetudine obtunduntur, difficile est extirpare.

## S E C T I O N O C T A V A

*Quid illud sit dicam, & non proderit. Cur? Quia non placebit Satrapis, plus majestati, quam veritati faventibus.*

**O**MNIA poenè Aulicorum studium semper fuit, plus majestati, quam veritati favere; hinc est quod in Aulis semper multa est veritatis inopia, quia adulatio & veritas nusquam convenient. Idem est majestati favere, ac adulari; nimis placet adulatio in Aulis, ideo Satrapæ plus favent majestati; quam veritati. Caveant Principes ab adulatoribus; nihil enim minus habent quam affectum,

quem erga suum Principem, adeò blandis verbis simularē enituntur. Nunquam fidelis fuit Aulicus adulator: adulantium sermones moliti sunt super oleum, sed ipsi sunt jacula. Illorum siquidem *euge euge*, eos ad quos dirigitur Orbis fabulam facit. Seligendi proindè à Principibus, qui plus faveant veritati, quam majestati: Nonnè planè ridiculum est Principem reperire, qui adulantium affectet favorem, quasi ab illorum opinione, & sententia dependeat, qui potius esse debent sub Principis censura, quorum nec laude probatus, nec vituperatione reprobus Princeps fieri potest. Opera sunt non adulatio, quæ probant Principem, aut regimini idoneum, aut imbecillem, aut sua virtute laudabilem, aut suis vitiis exosum: cui ad veram laudem propriā deest virtus, nihil suffragari potest adulatio, cujus fundamentum semper fuit mendacium. Aut vera sunt, quæ adulator commendat, & retribuit laudem, quæ virtuti jure debetur; aut falsa sunt, & diligit vanitatem, quærens mendacium. Quisquis plus favet majestati, quam veritati, computandus est inter vanos filios hominum, mendaces in stateris, ut decipient de vanitate Principem suum; propterea quotquot adulantur, in errorem inducere enituntur eos, quibus dant verba, ut munera ab ipsis reportent. Munera Principis, non Principem diligunt adulatores, & quæ sua sunt quærunt. Ideò dicebat David: *In Psal. Oleum peccatoris non impinguet caput meum*; Utiham, & cum Davide saperent, & intelligerent quotquot principiantur dicentes, verba adulatoria non impinguent aures meas; ab adulatoribus enim laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur. Ab his ergo cavere non ego, sed sapiens docet: *Proverb. I. 10. Fili si te lactaverint peccatores, non acquiescas eis.*

## S E C T I O N O N A

*Fuerunt ante te, qui se totos oribus pascendis exponerent,  
pastoris opere, & nomine gloriantes; nil sibi reputantes*

in-

or indignum ; nisi quod saluti ovium obviare putarent : non inquirerentes quæ sua sunt , sed impudentes . Impendere curam , & se ipsos &c.

**I**mpendere curam , substantiam , & seipso pro salute ovium , hoc est veri pastoris munus adimplere . Similes olim Ecclesia habuit , quales nunc etiam desiderat . Discant hodierni Præfules priscorum exemplo , quatenus se componere debeant , ut in Ecclesia , cui præsident , veros Pastores , non mercenarios se exhibeant ; impendenda est cura , ita ut semper de salute animarum vivant solliciti , non parcentes laboribus , ex quo manum mittere cœperunt ad fortia . Quisquis ad insulas vocatus est , primò debet sibi persuadere se ipsum sibi non sufficere , ut in viam rectam deducere valeat oves sibi creditas , sed opus habere Collateralium , in quibus non modò sapientia , sed & prudentia abundet , quibus charismatibus omnis ad Pontificatum assumptus debet insigniri . Christus enim priusquam oves suas Petro committeret , in utroque charismate , prudentiæ scilicet , & sapientiæ probatum voluit . Nunc autem in multitudine pastorum quosdam est invenire , in utraque gratia non consumatos ; in quibus aut cum prudentia sapientiam , aut cum sapientia prudentiam inesse non deprehendimus ; quotquot autem sunt , quos utriusque charismatis constat esse expertes . Enim verò , non nè sapientiam deesse cognoscimus in illis pastoribus , qui consilia despicientes , suo soli deferunt sensui , verè sapiens habitat in consiliis , & eruditis interest cogitationibus , scriptum enim est : *Ego sapientia habito in consiliis* , quibus utique opus Episcopo , ut primitivæ Ecclesiæ pastorum factus prudens , & sapiens æmulator , bonam impendat curam supra gregem sibi commissum . Utique *curam impendet , substantiam , & se ipsum* , quicumque à charitate , non à cupiditate ad pascendum gregem dominicum fuerit introductus . *Impendit curam* , qui regit cum sapientia , & prudentia , *impendit substantiam* , qui non querit quæ sua

sua sunt, *impedit seipsum*, qui non pavet pericula pro salute ovium. Nec desunt pericula ad Episcopale Ministerium assumpto, si enim tentatio est cujuscumque hominis vita super terram, quantis putamus patere periculis vitam Pontificis, qui omnium necesse habet ferre tentationes.

### S E C T I O N D E C I M A

*Unus erat de subditis quæstus, una pompa, unaque voluptas, si quomodo eos possent parare Domino plebem perfectam. In omnimodis fatagebant, etiam in multa contritione cordis, & corporis: in labore, & ærumpa, in fame, & siti, in frigore, & nuditate. Ubi nunc quæso, consuetudo hæc. Subiit dissimilis valde: longè in aliud mutata sunt studia; & utinam non in pejus.*

**N**imis hæc vera nostræ tempestatis mores alicubi esse probant, quæ suo ævo invaluisse perhibet Bernardus, *longè in aliud mutata sunt studia plurium Episcoporum, quam fuerint olim occupationes sacrorum Pastorum, quorum unus erat de subditis quæstus, una pompa, una voluptas, si quomodo possent de ovibus suis parare Domino plebem perfectam, id omnimodis fatagebant; ubi nunc consuetudo hæc, propter avaritiam, propter ambitionem videmus plures Ecclesiasticos multa subire pericula, solum pusillanimes, ubi deberent resistere fortes: longè in aliud mutata sunt studia, sed in pejus; siquidem miramur in quibusdam Ecclesiasticis vestium cultum plurimum, virtutum verò aut nullum, aut exiguum; sensibus incubant corporeis, harent infimis, inhiant terrenis, qui potius ea solum, quæ sursum sunt querere tenerentur, & sapere: longè in aliud mutata sunt studia, utinam non in pejus. Sed quomodo non in pejus, si profectus ovium nunc amplius non fiunt gaudia pastorum. Numquid in modernis sensibus abundabant Apostoli, & primi Apostolorum suc-*

cesso-

cessores, quorum si acta percurrimus, statim discernimus, quod unus solum erat de subditis questus, una pompa, unaque voluptas, si quando eos possent parare Domina plenam perfectam, etiam in multa contritione cordis, in labore, & ærumpa, in fame, & siti. Ubi nunc consuetudo hæc sitiunt, & fame pereunt pauperes, nudi jacent ad januas quorundam Ecclesiasticorum, qui beneficiorum opulentia impinguati, omnem pro gloria Dei promovenda labore recusant, & expensam; tantum abest quod in labore, & ærumpa, quæ Dei gloriam redolent, promovere enitantur: longè utique in aliud mutata sunt studia; ad confusione nostram dicimus, in pejus mutata sunt.

### SECTIO UNDECIMA

*Cura tamen, & anxietas, & æmulatio, & sollicitudo, fadetor, perseverant. Translata hæc, non imminuta. Testimonium vobis perhibeo, quod nec substantiae parcitis, non magis quam ante. Diversa autem locatio dissimilitudinem facit.*

**I**N laboribus vivimus omnes, quotquot laboriosam hanc vitam fortimur: ab ipsa juventute cura, anxietas, æmulatio, & sollicitudo nemini desunt pro sua conditio-  
ne, & statu. Utinam ex quo non possumus vivere sine  
anxietate, & sollicitudine, saltem labores nostros ad re-  
tributionem æternæ quietis dirigeremus; sed quod magis  
dolendum est, post transitorios labores, plures transeunt  
ad æternos angores. Quinimò quod magis hic laboramus,  
ut tandem in senectute nostra nobis detur à curis, & sol-  
licitudinibus vivere posse immunes, in majoribus de die  
in diem curis, & laboribus implicamur; itaut etiam qui-  
bus à paupertate, ad divitias transire contingit, non ideo  
absque curis, & sollicitudinibus, jam ad canos deductis,  
esse concedatur, sed proprio experimento veritatem hanc  
comprobatam perhibent, transferri quidem posse in hac

mifera vita degentibus curas , anxietates , & sollicitudines , sed non imminui : *diversa solum locatio dissimilitudinem facit*. Cæterum ubi anxiatur pauper , ut mundanas acquirat divitias , magis dirè cruciatur dives , ut acquisitas custodiat ; quapropter *translata quidem anxietas , sed non imminuta* . Ubi angitur ambitiosus , ut ad dignitates ascendat , ibi cruciatur , qui jam ascendit , semper timens ne corruat ; propterea in omni statu , ordine , & conditione , possunt quidem curæ , anxietates , & sollicitudines transferri , sed non imminui ; diversa solum , curarum ubique irruentium , locatio dissimilitudinem facit . Testes vos præ cæteris profero , ò Ecclesiastici Proceres , *qui nec substantiae non magis , quam antea parcitis* : Olim diffundebant Præsules suas substantias in subsidium pauperum , in Ecclesiarum restorationem , nunc fortassè plures ex ipsis etiam substantiae non parcentes , easdem profundunt in vanitates , & insanias falsas ; tam illi itaque , quàm isti substantiae non parcunt , sed magno cum discrimine , diversa locatio dissimilitudinem facit : diversa inquam locatio , sed quo magis in prioribus commendabilis , eò magis detestabilis in subsequentibus .

### S E C T I O D U O D E C I M A

*Magna abuso: pauci ad os legislatoris , ad manus omnes respiciunt:*

**C**um ferè omnes quarant , quæ sua sunt ; & propria utilitas nostros pœnè omnes dirigat actus , plus intenti sumus ad manus , quàm ad os legislatoris . Loquitur Superior , quæ pro bono regimine ad communem utilitatem magis sunt congrua , leges profert , quibus ad unitatem , ad concordiam , ad pacem , ad professionem virtutum , ad excutionem vitiorum suos excitare desiderat subditos , conticent omnes , & ad hoc solum intenti ora tenent , si munificas habeat manus suas , quàm largus sit in profusione auri ,

aurei , diligunt enim subditi munera plusquam leges , retributions sequuntur plusquam Canonicas ordinationes : difficile est invenire , qui excutiat manus suas ab omni munere , qui scilicet à peculiari lucro , plusquam à virtutis amore affectus , à spe mercedis , plusquam à debitè obedientia erga Principem attractus , ad os legislatoris respiciat , ut quæ ab eo ordinata sunt exequatur : *ad manus omnes respiciunt* , mortua sunt verba , quæ non reviviscunt per munera .

## S E C T I O D E C I M A T E R T I A

*Non immeritò tamen . Omne papale negotium  
illæ agunt .*

**A**uri sacra fames , pauci sunt quos non exagitet ; ubi spes aurei non urget , perquam raro negotia expediuntur : paucos enim invenire est , qui ad manus , plusquam ad os legislatoris non respiciant . Sæpè Summi Pontifices ad evellendum munerum , & retributionum invalecentem abusum , sanctissimas promulgarunt leges ; nihilominus pauci ad os legislatoris , ad manus omnes respiciunt .

## S E C T I O D E C I M A Q U A R T A

*Quem dabis mihi , vel de tota maxima Urbe , qui te  
in Papam receperit , pretio , seu spe pretii  
non interveniente .*

**S**pes sola copiosæ retributionis potest Principi populorum animum reconciliare ; subditi eum vocant patrem , à quo panem accipiunt ; quisquis dominatur populis , si in profusione aurei copiosus non appareat , difficile populorum sibi captivabit affectum . Veritatem hanc proprio comprobata experimento perhibuit Eugenius , qui in excitatè contrà ipsum ab Arnaldistis seditione ,

poenè omnes , quos in suà obedientià habuit fideles , *pre-*  
*tio , aut spe pretii interveniente* continuuit , scilicet popula-  
 res viros , quorum plures Arnaldus à Pontificis devotione  
 subtraxerat ; neque de nobilioribus Romanæ Urbis cibibus  
 intelligi possunt præfata D. Bernardi verba , quandoqui-  
 dem eorum pietati S. Abbas Eugenium profugum com-  
 mendavit , sicut in introductione ad opus demonstratum  
 est . Quæ in hoc capite exagerat S. Bernardus , hujusque  
 increpationis causam fuisse Arnaldistas , facile colligere  
 potest , quisquis D. Bernardi Epistolam numero 247. per-  
 currere voluerit .

### SECTIO DECIMA QUINTA

*Et tunc potissimum volunt dominari , cum professi*  
*fuerint servitutem &c.*

**H**æreticorum character , de quibus in præsenti agit San-  
 ctus Bernardus , præfatis in sensibus luculenter ex-  
 primitur . Hæreticorum mores satis habebat perspectos San-  
 ctus Doctor , cui passim contigit eorumdem versutias scruti-  
 tari , ut posset convellere . Contrà omnes suo ævo debac-  
 chantes hæreticos , nempè Henricianos , Petrobusianos , Abai-  
 lardistas , Porretanos , Arnaldistas , pluresque alios sæpè &  
 linguam , & calamus acuit , quapropter optimè novit , &  
 qualia essent hæreticorum studia , mores , ingenium , pro-  
 pensio , & consilia ; undè meritò de iisdem in præsenti  
 scribere potuit , quod fideles se spondeant , ut opportunius  
 fidentibus noceant ; sapientes ut faciant mala , bonum autem  
 facere nesciunt ; impii in Deum , temerarii in sancta &c.  
 Siquis autem hæreticorum versutias diffusè magis expref-  
 fas videre desiderat , percurrat sermones S. Bernardi in  
 Cantica , nempè Serm. 64. 65. 66.

## SECTIO DECIMASEXTA

*Jam ad ordinem recurramus. Quale est quod de spoliis Ecclesiarum emuntur, qui dicunt tibi euge euge.*

**N**on alium fuisse in superiori sectione D. Bernardi sensum, quam hæreticorum tunc Romæ debacchantium, vitam, & mores excutere, satis constat ex his quæ nunc subdit. Jam ad ordinem recurramus. De his quæ sunt circa Pontificem agere sibi in hoc libro proposuerat S. Doctor, cum verò tunc temporis occasione seditionis, Romæ ab hæreticis Arnaldistis excitatae, plures fortè essent etiam in Aulâ Pontificis Arnaldo adhærentes, licet non omnibus noti, nihilominus à D. Bernardo cogniti, idèo digressus est in hoc capite ad differendum de hæreticis, cum tamen rerum discutiendarum, quas sibi proposuerat ordo posceret, ut de Pontificis Collateralibus ageret, nempe de his quæ sunt circa Pontificem. Memor itaque promissi, jam ad ordinem propositum recurrerit; & primò quidem de Collateralibus acturus, eorum redarguit luxum, qui Ecclesiæ sumptibus tot excedeant in ponipis; propterea subdit, quòd de spoliis Ecclesiarum emuntur, qui dicunt Summo Pontifici euge euge. Heu nimium jam à pluribus sœculis luxus invaluerat, quo stimulante non deerant, qui pinguioribus cumulati beneficiis, opulentioribus præfecti Ecclesiis, dum in Republica Ecclesiastica primas implebant dignitates, de spoliis Ecclesiarum, excessivis supplebant expensis. Interim Ecclesiæ, quibus præfiebantur hispidæ manebant, & incultæ, sacra destitutæ suppellectili; earundem autem proventibus impinguati, non parcebant expensis, ut nitidi, deaurati, circumamicti varietate apparerent; propterea non sine aliquo fundamento, satis superque vox murmurantium audiebatur, quòd de spoliis Ecclesiarum emerentur, qui dicerent Pontifici euge euge. Absit, absit ut nostro ævo renovata videamus

mala, quæ vivente D. Bernardo angebant Ecclesiam, ita ut de spoliis Ecclesiarum emantur, qui dicant Pontifici euge euge.

## SECTIO DECIMASEPTIMA

*Pauperum vita, in plateis divitum seminatur. Argentum micat in luto, accurritur undique: tollit illud non pauperior, sed fortior, aut qui fortè citius præcurrerit.*

**Q**uæ sufficerent ad plurium sustentationem pauperum, qui nuditate, frigore, siti, fame, & inopiâ laborant, ab uno divite, qui quotidiè epulatur splendidè, induitur purpura, & byssô, sæpè disperduntur inter vanitates, & luxus; proindè pauperum vita in plateis, sive domibus divitum seminatur, ubi *argentum micat in luto*, quandoquidem cum aliud non sit quam lutum figmentum nostrum (nam si cum Davide recordamur, pulvis utique sumus) argento, & auro coruscantibus vestibus corpus nostrum obtegimus; propterea quid aliud reliquum est dicere, nisi quod *argentum micat in luto*. Si tamen dicere magis non congruit, argentum micare in luto, cum homines natalibus viles, & despicabiles, vestibus auro, & argento intextis obductos conspicimus. Sed Romæ præcipue argentum micat in luto, ubi aliquando contingit, ut quos heri pauperes, & despicabiles vidimus, hodie ad dignitates assumptos, beneficiis Ecclesiasticis ditatos, statim varietate auri, & argenti circumamictos miremur, & nonnisi in disco argenteo appositi eis sapiunt cibi, quibus vasa figuli deberent sufficere; curritur undique ad obtinendas Ecclesiasticas dignitates, inter quas jam poenè vilescit argentum, quod etiam nunc alicubi fortè micat in luto. Utinam dignitates Ecclesiasticas nunquam obtinerent fortiores & potentiores, vel qui fortè citius præcurrunt.

## S E C T I O D E C I M A O C T A V A

*A te tamen mors iste, vel potius mors ista non cœpit:  
in te utinam desinat.*

**A**Nte D. Bernardi tempora, jam mos iste invaluerat, abusio hæc Ecclesiam infestabat; mors ista, quæ utique decoris Ecclesiastici excidium est, cœperat, ut scilicet non pauperiores, sed fortiores, non digniores, sed potentiores, vel qui fortè citius præcurrebant, beneficia obtinerent Ecclesiastica, ad quæ solum merita, non præpotentia, aditum referare deberet. Utinam sancto zelo gloriæ domus Dei incalescentibus illis, ad quos spectat dignitates, & beneficia dispensare, mos iste, seu potius mors ista desineret, itaut nullo interveniente carnis, aut sanguinis, vel peculiaris inclinationis impulsu, digniores semper promoverentur; in hoc pœnè dixerim sitam esse totam summam optimi cujuscumque regiminis, si illi ad quos spectat dignitates conferre, nulla passione stimulati, solam Dei gloriam, & æquitatem habentes præ oculis, digniores feligant, & præferant potentioribus. Fælix Ecclesia, si tam bonæ, & sanctæ voluntatis, semper fortiantur Pastores.

## S E C T I O D E C I M A N O N A

*Sed reliqua prosequamur. Inter hæc tu pastor procedis deauratus, tam multa circumdatus varietate. Oves quid capiunt. Si auderem dicere: Daemonum magis, quam ovium pascua hæc Óc.*

**P**astor pinguis, oves macilenta; Pastor deauratus, oves sine vellere, sine lacte, sine pascuis, non bene consonant; nihil prorsus capiunt oves à pinguedine, & luxu pastoris. Utique zelus magis dignitati, quam sanctitati studentium, plus vanitati, quam humilitati inbian-  
tium

tium præposterus est. Zelus S.Bernardi talia scribentis, nunc Deo opitulante, locum non habet, tunc verò propter schisma, & seditiones corrupti mores tales merebantur censuram. Utinam in Ecclesia Dei non sit amplius invenire pastores, qui Ecclesiasticum zelum exerentes *pro sola dignitate tuenda, totum dantes honori, parum aut nihil cogitantes de studio sanctitatis*, prælationis studium in dominatione potius, quām in pastorali administratione repontant. Heū nimium invenire est Superiores, qui suos subditos nonnisi voce tumida alloqui, crispata fronte, affectata cum gravitate excipere nesciunt; omne verbum quod proferunt, quasi oraculum recipi volunt, *paulò submissus sè gerere aut nesciunt, aut despiciunt; sociales se habere detrectant, quasi humilitas, benignitas, humanitas, conniventia, charitas Prælatos non deceant, Superioribus non conveniant; cum tamen Superiorum omnium Dominus, semper humilis apparere voluerit, humilitatem docere numquam destiterit, benignè semper inter homines sit conversatus; & neminem legamus à Christo, nisi summa cum benignitate acceptum, atque humanissimis sensibus dimissum. Audiant hæc Præfules, qui sibi commissis semper esse volunt formidinis, utilitatis raro; erudimini qui judicatis terram: discite subditorum matres vos esse debere, non Dominos: studete magis amari, quām metui, & si interdum severitate opus est, paterna sit, non superba, matres fovendo, patres corripiendo vos vos exhibeatis. Quid jugum vestrum super eos aggravatis, quorum potius onera portare debetis. Ad Christi exemplum se componant, quotquot in Ecclesia, prælatitia fulgent dignitate, & submissè sapere, humiliter agere despiciunt, quasi cum prælatitio honore concordare nequeant humiles sensus, socialis actio, submissus sermo. Verum Prælatorum munus non melius absolvitur, quām cum humiliter exercetur. Quid non obtineat humilis Superior à subditis, operum sanctimonia comitè; potens est facere ex feris homines, non modo lapides in Abrahæ filios convertere;*

sicut

sicut enim virtutis exemplum ad virtutem excitat, sic compatiens miseratio, subditis à Superiore benignè impensa, eos sanctificat. Non tantum ad gravitatem, sed ad obligacionem respicere debet Superior Ecclesiasticus, impigrum, festinantem, infatigabilem, perseverantem, misericordem, gravem, benignum, prout uniuscujusque mores, naturamque exigere conspexerit, se exhibens; Hunc secretò, alterum palam, illum blandus, alium severus aggrediens, simul, & semel amari studens, & timeri; sed ita ut excitet amor timorem, & timor amorem: nunc autem forte non desunt Prælati, qui potius timeri gaudent, quam amari; *omnis eorum zelus fervet pro sola dignitate tuerenda*, non pro pastorali obligatione adimplenda, *honori totum datur, sanctitati parum aut nihil: omne humile probro dicitur*. Quod si connaturali impellente affectu, vel conscientiæ stimulo urgente, velit Superior paulò submissius agere, ac socialius se habere, statim Collaterales domestici clamant, absit, non decet, tempori non congruit, majestati non convenit. Sed quid culpantur tempora, dignitas, & majestas, tanto cum humilitatis præjudicio, quæ neminem magis decet, quam Christi Discipulos, & Apolorum successores. Culpentur luxus, ambitio, fastus, vanitas, quæ adeò in Ecclesia Dei, cum Ecclesiasticæ disciplinæ detrimento invaluerunt. Culpentur ipsimet consiliarii, qui dicunt, *non convenit, non decet*. Certè omnis corruptela Principum, & Prælatorum, ut plurimum à malis consiliariis suum ducit exordium; utpotè qui tantum norunt blanda suggerere, ac nonnisi placentia loqui: boni consilii inopia, ut plurimum laborant magna fastigia, & poenè omnia possidentibus, hoc unum est quod deest, nempe qui verum dicat, qui bona suggerat: pauci admodum sunt in Aulis Principum, qui ex animi sui sententia suadeant, dissuadeantque; sed adulandi certamen est, & aulicorum poenè omnium officium, atque una esse videtur contentio, nempe blandissimè fallere Principem suum; hujusmodi sunt, qui dicunt Principi, & Prælato

*non*

*non convenire majestati paulò submissius se gerere*, aliquantulo socialius agere, humaniter ac benignè ad se adventantes excipere. Humaniores utique essent Principes, si eos nemo accenderet; proinde quidquid timere possit subditus à vehementi Principis genio, plus habet metuere à Consiliariis, à Collateralibus, qui ea quæ vera, quæ reæta, quæ sana, quæ laudabiliora sunt, Principi saepe non suggerunt. Quapropter pro bono regimine, pro Principis decore, hoc potissimum expedit, ut Principes accuratè respiciant, quos in numero familiarium suorum feligunt. Audiant, imò spectent, & sequantur Davidis exemplum; ecce dictum, & factum ejus verè regium: *in Psal.* Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam, qui loquitur iniqua, non direxit in con/pediu oculorum meorum. Aulicorum sui temporis prospectum exhibit in fine hujus capititis S. Bernardus, audiatur proinde de Aulicis duodecimi sæculi sic differens S. Doctor: Omne humile probro dicitur inter Palatinos, ut facilius qui esse, quam qui apparere humili velit, invenias. Timor Domini simplicitas reputatur, ne dicam fatuitas. Virum circumspetum, & amicum propriæ conscientiæ calumniantur hypocritam. Porro amatorem quietis, & sibi interdum vacantem, inutilē dicunt; An & temporis nostri moribus aptari possint, quæ in præsenti profert S. Abbas; an & simile invalescat genium, quisquis ingenuè proferre voluerit quid sentiat, facile non absimiles dicet nostri temporis mores. Nonne etiam nunc temporis timor Domini apud plures simplicitas reputatur, ne dicam fatuitas; legem cupiditatis libentius sequitur misera nostræ naturæ corruptæ conditio, cum tamen nulla sit societas legi cupiditatis, cum lege charitatis, & timoris Domini; propterea non mirum si timor Domini reputatur fatuitas. Utinam fatuitas hæc absorberet quotquot sapientes apparere gloriantur in sæculo; Utinam de vera simplicitate, quæ fætus est timoris Domini, gauderent homines; utique tot adulatoribus non abundarent aulae; Christiana enim simplicitas amica est verita-

ritatis. Laudabilis simplicitas in Aulicis simulationem exclu-  
dens, ut oculus Principis caligare non valeat in veritate, cu-  
jus tantam hodie Principes patiuntur inopiam, eò quod ti-  
mor Domini jam poenè fatuitas reputatur; vix est in sæculo  
qui sæculi calliditates non sectetur, qui illis uti non gau-  
deat, qui non verecundetur oculos habere columbinos,  
& non glorietur habere miluinos; hæc est præsens pru-  
dentia carnis. Sed prudentia carnis inimica est Deo; proin-  
dè *timor Domini simplicitas reputatur, imò fatuitas. Vir*  
*circumspctus, & amicus propriæ conscientiæ, calumniatur*  
*tamquam hypocrita.* In hoc etiam scopulum impingunt ho-  
die castigati scriptores, qui ubi agitur de disciplina mor-  
rum, profectuque virtutum, in sensu saniorum sententia-  
rum, quas hactenus antiquorum Theologorum auctoritate  
fulcitas, Canonistarum coetus recepit, abundant: qui hu-  
jusmodi sunt, jam ferè calumniantur tamquam hypocritæ,  
si non adhærent relaxatis opinionibus, quæ utique cum  
Sacris Canonibus, & Sanctorum Patrum placitis nullam  
habent cohærentiam. Theologia adulatrix, quæ in favo-  
rem libertatis concludit, sola est, quam nunc delectat præ-  
ferri, & profiteri. Sententiæ castigatores sanioris Moralis,  
cui adhæserunt Patres nostri, à novitatis, vel potius li-  
bertatis amatoribus, irridentur tamquam abrogatæ, & an-  
tiquatæ, neque illas amplius recipit Theologia moderna.  
Sed ut pace Theologorum conscientiis adulantium loquar:  
nonne vera Moralis illa est, quæ inducit sensus catholi-  
cos, excolit mores compositos, undè virtutes suum au-  
riunt incrementum; quomodo huic morali cohærere jam  
possunt quædam modernæ opiniones, quæ ad hoc potissi-  
mum colimant, ut ferè omnia certatim contendant revo-  
care in dubium. Et ut ex pluribus modernis sententiis  
una tantum, exempli gratia, proferatur in medium, ex qua  
de cæteris judicium fiat, & pateat modernæ Theologiæ mor-  
alis sententias, novercas esse virtutum. Hactenus tamquam  
sanctio inconclusa custodiebatur sententia autmans, exube-  
rantes beneficiorum fructus expendendos esse sacros in-

usus, & beneficiis præpositos, fructuum esse dispensatores non Dominos. Nunc Theologia moderna, aulicos professas mores, linguam, & sensus, docet beneficio insignitos, exuberantium fructuum non esse dispensatores, sed dominos, & de illis ad placitum posse beneficiatos disponere: non monstrabunt, puto, cujus Sacri Canonis, aut Sancti Patris auctoritate fulciatur hæc opinio. Quantum charitatis exercitio obnoxia sit hæc sententia, satis per se patet, nihilominus Moralistæ moderni, quotquot in eorum sensu loqui renuunt, calumniantur tamquam nugaces, & simplices, tanquam scrupulosos, & hypocritas. Hæc & alia plura dicerem, si vulnera detegere, quibus gravati omnem vel levem tactum reformidant, ratio brevitatis præpositæ non prohiberet. Satiùs erit concludere, nostris temporibus etiam invalescere calamitatem, quam suo ævo deplorabat S. Bernardus: *Humile probo ducitur: timor Domini simplicitas reputatur; virum circunspectum & amicum propriæ conscientiæ calumniantur hypocritam; amatorem quietis, & sibi interdum vacantem, inutilem dicunt.*

## C A P U T T E R T I U M

### S Y N O P S I S .

*Monentur hic Ecclesiastici Præfules, veri pastoris officium esse, omnium sibi commissarum ovium saluti invigilare: quantumvis pastoralis sollicitudo pastorem ipsum luporum periculo exponat, non debet verus Pastor, pro suarum salute ovium, pavere pericula. Non autem externo splendore, sed indefessa sollicitudine Ecclesiastici Pastoris munus adimpleri significat S. Bernardus, exemplo D. Petri, qui in frigore, nuditate, siti, paupertate, & ærumnis multis, ministerium suum implevit, cui ministerio succedunt Romani Pontifices, quos quantumvis nunc gemmis ornatos, testos auro, veltos aquo, stipatos milite, septos ministris, incedentes videant heretici, non ideo debent obr... liquis*

liquis oculis , hunc debitum Romano Pontifici decorum , & ornatum respicere ; debitum , inquam , ex quo Romanus Pontifex in temporali dominio Constantino successit , qui Romanum , & Romanum Regnum Silvestro , suisque successoribus libenter cessit : eodem siquidem jure , quo reliqui omnes totius Orbis Reges in suo regno dominantur , etiam Romanus Pontifex , tamquam temporalis Princeps , in tota sua ditione regalem exercet potestatem : quapropter regalia jure gerit insignia , quæ utique Pontifici debita , non tamen à Pontifice sunt affectanda . Cum verò Pontifex , Rex simul sit , & Sacerdos , utrumque potest evaginare gladium , quotiescumque opus esse compererit pro Ecclesiæ defensione , spiritualem scilicet , & temporalem ; immo utramque potestatem Summo Pontifici competere , utrumque gladium fuisse D. Petro ab ipso Christo concessum , evidenter probant illa verba Lucæ 22. Ecce gladii duo hic : gladio autem spirituali , sub cuius nomine præcipue intelligitur prædicatio evangelica , potissimum uti debent Ecclesiastici Præfules , ad animarum conversionem , ad ovilis custodiā , ad ovium salutem . Qualiter Præfules cum obstinatiis , & refractariis se gerere debeant .

## S E C T I O P R I M A

*Quid ergo tu? Evigilas ne adhuc ad istos qui circumde-  
derant te laqueos mortis? Quæso, sustine  
paulisper &c.*

**I**Terum contra Arnaldistas hæreticos , Romæ debacchantes sub Eugenio , hic recurrit sermo , quos proinde lupos , & subversores (nitebantur enim universum populum contra Pontificem subvertere) esse asserit S. Bernardus , excitans Eugenium , ut eorumdem conversioni insistat , quidquid cervicosos esse , & obduratos in malo comperiat . Nullus est peccator adeò obstinatus , qui , Divina optulante gratia , non possit ad Deum converti . Potens est Deus suscitare semen Abrahæ de lapidibus . Nullius , apud Deum

misericordiarum patrem , desperata est salus ; reverti possunt in oves , qui verti potuerunt in lupos ; propterea peccatorum conversio indefessam exigit Pastorum sollicitudinem , ut arguant , & increpent in omni patientia ; nec unquam de peccatorum resipiscientia debent diffidere , quantumvis improbos esse , & in malo obstinatos animadvertant ; quantumvis lupos esse agnoscant , eniti debent , ut revertantur in oves , ex quo potuerunt verti in lupos , semper memores , quod Christus exigit curam , non curationem : cura opus est humanæ vocis , curatio opus est vocis divinæ , siquidem vita in voluntate ejus , qui habet verba vitæ , qui solus cum dixit , facta sunt , dixit fiat lux , & facta est lux , dixit convertimini filii hominum , & conversi sunt . Solius Dei verba sunt facta , quia ipse solus voci suæ dat vocem virtutis , proinde vita in verbo , vita in voluntate ejus ; voluntas ejus conversio , salus , & vita nostra est , juxta quod scriptum legitur : *Ezechiel. 28. 23.* *Numquid voluntatis meæ est mors impii , sed magis ut convertatur , & vivat ;* sollicitus itaque sit Pastor de cura animarum , Dei autem providentiæ curationem relinquat . Nec juvat dicere lupi sunt , non oves ; sive enim oves , sive lupi sint , Episcopus est Pastor , quod si Pastor , semper viget obligatio , oves suas , quæcumque illæ sint , custodiendi , reducendi errantes , etiam ubi opus sit suis submissis humeris , juxta Evangelicam parabolam , quæ docet non sufficere ad pastoralis munieris implementum , alienos humeros ministerii ponderi submittere , utpotè aliis prædicationem verbi Dei demandare , & cætera pastoralia munera per Vicarios adimplere , sed per seipsum , ubi licet , ubi opus sit , ubi expediatur , ubi valeat , debet Episcopus verbum Dei dispensare , & pastorale munus perficere ; nempe oppressis subsidium impendere , sacramenta ministrare , afflictis consolationem exhibere , visitare infirmos , delinquentes corrigere , desidiosos excitare ; hæc docuit Pastor Evangelicus , qui non alienos humeros , sed proprios submisit ad ovis errantis reductionem . Hinc Di-

vus Bernardus Eugenium, & cum eo omnes Pastores Evangelicos, de munere pastorali, per seipso quantum possunt, & non per alios adimplendo, instruens scribit. *Tu autem es Pastor*, quod idem est ac dicere, à te non ab aliis requiret, qui te Pastorem constituit, an ubi opus erat, an ubi nullum adfuit impedimentum, per te tuo muneri satisfeceris. *Tu es Pastor*, ergo non aliis debes oves tibi commissas credere, sed per te ad earum custodiam, quantum cum tuo munere compatitur, debes invigilare. *Tu es Pastor*, tu proindè, non mercenarii à te substituti, in extrema discussione vocaberis ad reddendam rationem tibi crediti ovis. *Tu es Pastor*, tibi itaque noveris imputanda, quæ per tuam incuriam animæ tibi creditæ deliquerint; quas mox parvipendens dissimulas, tamquam parum, aut nihil spectent ad te; quas si parvi feceris, audies contrà te animarum graves quærelas, accusationes duras, quarum vixisti stipendiis, nec peccata diluere studiisti. *Tu es Pastor*, lacte propterea, & lana esse debes ovium tuarum contentus, ad congruam sustentationem, non maestare oves, ut de earum carnis comedas ad saturitatem; Dignus planè est operarius mercede sua, proindè & pastor dignus stipendio, itaut qui altari servit, de altari vivat:

1. ad Tim. 8. *Alimenta, & quibus tegatur habens*, juxta doctrinam Apostoli, qui Ecclesiasticum Pastorem vult de altari vivere, sed non superbire, non luxuriari, non indè loculos congregare, in vanitates, & superfluitates disperdendos, non extollere de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos. Facultates Ecclesiæ in sacros usus non expendere, par sacrilegio crimen esse dignoscitur; Profectò sacrilega crudelitate diripiuntur Ecclesiæ bona à Pastoribus, quandocumque ad Ecclesiæ decus, & famelicis oviibus, idest pauperibus, ad pascua exhibenda non impenduntur: nec enim ordinavit Deus his, qui Evangelio serviunt, qui Ecclesiæ patrimonio præficiuntur, de Evangelio quærere, aut habere delicias, sed vivere: ut videlicet sint contenti pro suo munere, dignitate, labore, & ministerio

con-

congrua alimenta accipere, non gulæ irritamenta, aut incentiva libidinis, aut fomenta ambitionis. Utilis consideratio, cui sine intermissione immergi deberent omnes Praëlati, ut ad animarum suæ fidei commissarum curam, semper viverent solliciti, à quâ ut se eximant, non juvat opponere. *Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi semper hi errant corde;* quantumvis errent, quantumvis obdurati sint, & peccatores, semper sunt oves, proindè incessanter ad eas semper clamare debet Episcopus: *Isaiæ 46. 8. Reddite prævaricatores ad cor. Tu es Pastor.* In hac consideratione proculdubio invenient Episcopi, quomodo suas oves bene custodiant, quomodo errantes reducant, quomodo conversæ in lupos possint iterum in oves reverti, quomodo denique, juxtâ divinam dispositionem, suo muneri satisfaciant.

### S E C T I O S E C U N D A

*Hic hic non parco tibi, ut parcat Deus. Pastorem te populo huic, certè aut nega, aut exhibe. Non negabis: ne cuius sedem tenes, te neges hæredem.*

**H**ic hic non parco tibi. Quisquis Episcopus es constitutus, populo tuo te Pastorem aut exhibe, aut nega, idest aut cede muneri, si te minus idoneum credis, ut muneri possis satisfacere, aut Pastorem te exhibe, idest munus tuum imple. *Hic hic non parco tibi, ut parcat Deus.* Quæ quantaque requirantur ad Ecclesiastici Pastoris munus fideliter adimplendum, utique paucis exprimi non potest, omnia tamen mellifluo calamo perstringit S. Bernardus in suo tractatu, quem inscripsit: *De moribus, & officio Episcoporum, ad Henricum Archiepiscopum Senonensem,* cuius assidue lectioni, & meditationi deberent omnes Episcopi sine intermissione insistere, ut in eo tamquam in speculo, veram munera Episcopalis normam ediscerent, ad quam se componentes, veros Episcopos, & Pastores animarum se possent, ut par est, exhibere.

SE-

## S E C T I O T E R T I A

*Petrus hic est, qui nescitur processisse aliquando, vel gemmis ornatus, vel sericis, non tectus auro, non vextus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septius Ministris. Absque his tamen credidit satis impleri posse salutare mandatum. Si amas me pasce oves meas. In his successisti non Petro, sed Constantino. Consulo toleranda pro tempore, non affectanda pro debito.*

**E**X his, quæ in præsenti scribit S. Bernardus, plura liquet colligere, quibus obstruatur os hæreticorum loquentium iniqua contra decorem regium, quo circumseptus solet incedere Romanus Pontifex. Et primò quidem, novum non est in Ecclesia videre Summum Pontificem gemmis ornatum auro tectum, milite stipatum, ministris septum, quandoquidem teste D. Bernardo, jam suo ævo hunc viguisse morem comperimus, imò non modò à tempore Eugenii exordium duxerat, sed statim à tempore Constantini venerata est Ecclesia Romanos Pontifices, totius regalis magnificentiae varietate circumdatos; ex quo, opitulante munificentia Constantini, Deo ad Ecclesiæ suæ decus sic disponente, Romanus Pontifex cœpit simul esse Rex, & Summus Sacerdos. Sed quidquid sit de habitu, quem olim gerere potuerint aliqui ex Romanis Pontificibus, certum est habitum, quo à pluribus sæculis usque in præsens utuntur, nonnisi summam redolere parsimoniam, & modestiam: non enim sericis, sed laneis operiuntur vestibus, sobrio etiam victu contenti, itaut sobrietatis, & humilitatis, omnibus Ecclesiasticis proceribus, præbeant exemplum. Cæterum prætiosissimis ornati genimis incedere, consueverunt, etiam in lege veteri, Summi Sacerdotes, ad augendam in populis erga Sacerdotale munus veneracionem; quid ni ergo etiam in lege gratiæ Summus Sacerdos genimis, & sericis ornatus appareat, cum non modo Sacerdotali, sed etiam regali jure potiatur. Egrè populi ad

ad debitam venerationem exhibendam moventur erga eos; qui primas impletant dignitates, nisi & peculiari vestium decore videant obductos; proinde quodammodo necesse fuit, ad excitandam in populis erga Præfules venerationem, Præfules ipsos externo circumamictos splendore incedere, splendore inquam tolerando, ut scribit S. Bernardus, *pro tempore, non affectando pro debito*. Si enim præcisè ad pastorale munus attendatur, sive auro, sive gemmis, sive militæ, sive pompa, potest Sacerdotiale munus impleari. Proinde Petrus, qui numquam processit gemmis ornatus, & sericis, credidit sive servorum turba, sive comitatu Collateralium, & in omnimoda paupertate posse Summo Sacerdotio fungi, & pascere oves suas: maximè cum vigentibus in primis Ecclesiæ fæculis persecutionibus, vix haberent Catholici ubi reclinarent caput; tantum aberat, quod possent ad gloriam externi decoris intendere: Regalem ergo magnificentiam, quam à Constantino habuerunt Summi Pontifices, & improbant invidi hæretici, S. Bernardus non improbat, sed solum asserit non esse affectandam.

#### SECTIO QUARTA

*Ad ea te potius incito, quorum te scio debitorem. Etsi purpuratus, et si deauratus incedens: non est tamen quod horreas operam curamve pastoralem, pastoris hæres: non est quod erubescas Evangelium. Quamquam si volens evangelizare; inter Apostolos quidem, etiam gloria est tibi. Evangelizare, pascere est, fac opus Evangelistæ, & pastoris opus implesti.*

**Q**uisquis in Ecclesia Dei Pastor est constitutus, à pastorali labore häudquam se potest subducere; itaut non modò aliorum ope, sed per seipsum evangelizare teneatur: quod idem est, ac evangelica pascua providere. Evangelizare pascere est; faciat Episcopus opus Evangelistæ, & Pastoris opus implevit.

SE-

## S E C T I O Q U I N T A

*Dracones, inquis, me mones pascere, & scorpiones, non  
Oves. Propter hoc, inquam, magis aggredere eos, sed  
verbo, non ferro. Quid tu denuo usurpare gladium  
tentes, quem semel jussus es ponere in vaginam, quem  
tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur atten-  
dere verbum Domini dicentis sic: Converte gladium tuum  
in vaginam: Tuus ergo, & ipse: tuo forsitan nutu,  
etsi non tua manu evaginandus. Alioquin si nullo modo  
ad te pertineret, & is dicentibus Apostolis. Ecce  
gladii duo hic, non respondisset Dominus: Satis est, sed  
nimis est. Uterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet  
gladius, & materialis. Sed is quidem pro Ecclesia exer-  
rendus est. Ille Sacerdotis: is militis manu, sed sane  
ad nutum Sacerdotis, & jussum Imperatoris. Et de hoc  
alias. Nunc vero arripi illum, qui tibi ad feriendum  
creditus est: & vulnera ad salutem, si non omnes, si  
non multos, certè quos quos possis.*

**P**RÆFATIS D. Bernardi verbis longa serie utuntur sectarii,  
imò & politici, facti suorum Principum adulatores,  
ostensuri non competere Pontifici gladium materialem,  
sed tantummodo suo nutu, occurrentibus in necessitatibus,  
evaginandum esse à Principibus sæcularibus. Perperam ta-  
men, tam politici, quam Sectarii Bernardum intelligunt,  
si ejus auctoritate probare nituntur, non posse Summum  
Pontificem, non modo suo nutu, sed etiam sua manu gla-  
dium exerere, ubi id Ecclesiæ necessitas postulet, neque  
alio medio possint Ecclesiæ jura servari. Ad Sinagogæ  
jurâ servanda contra hæbraicæ legis inimicos, non modo  
suo nutu, sed & sua manu, Sacerdotes collecto milite in-  
stuerunt prælia, nequaquam metuentes aut de ostium  
cæde peccatum, aut de sua nece periculum; scientes quòd  
mors pro Dei gloria vel ferenda, vel inferenda, nihil ha-  
beat criminis, & plurimum gloriæ mereatur. Quid ni er-

go, & in lege gratiæ valeat Summus Sacerdos suo nutu, & sua manu, ubi Ecclesiæ necessitas postulat, committere prælium. Sed ut magis constet numquam fuisse sensum D. Bernardi, tam in præsenti capite, quâm Epistola 256., in qua similiâ præfatis verba habet, concludere non posse Pontificem sua manu gladium materialem exerere, juvat ad reni pauca subnecctere; & primò sciendum foret quid intelligent Sectarii, cum ex auctoritate D. Bernardi probare conantur, non posse Pontificem gladium materialem evaginare: utique negare nequeunt duplē gladium à Christo D. Petro concessum, spiritualem scilicet, & materialem, nec minus proprius Pontificis dicendus est spiritualis, quâm materialis gladius, maximè cum scribat S. Doctor Epist. 256., de materiali gladio, utpotè proprio D. Petri. *Suus ergo erat*; quod si suus, quæro à Sectariis, ad quid suus? ad quid Petro concessus? num ut semper reconditum custodiret in vagina: utique superfluum erat concedere, si semper debebat recondere. Vel afferere intelligunt Sectarii, non decere Pontificem, armatum quasi unum ex militibus, ad prælium incedere, cum dicunt non posse Pontificem sua manu gladium evaginare, & in hoc sensu non modo Sectarii, sed etiam Catholici omnes abundant; certum enim est non decere Summum Pontificem, imò quemcumque Prælatum, plus dicam, neque Sacerdotem, aut simplicem Ecclesiasticum, armis stipatum progredi ad prælium. Vel cum dicunt non posse sua manu evaginare gladium, exprimere intelligunt non posse Ecclesiastici patrimonii sumptibus instruere militares copias, easque contra Ecclesiæ inimicos dirigere, & in hoc sensu non posse Pontificem sua manu pugnare, quemadmodum de Principibus Sæcularibus dicitur, quod sua manu evaginent gladium, quandocumque colligunt exercitus, & per suos duces dirigunt acies; licet Principes à sua interim Aula non abscedant. Hæc tamen numquam esse potuit mens D. Bernardi, cum scripsit, materialem gladium, non esse manu Pontificis evaginandum,

quan-

quandoquidem ipse S. Abbas , jubente Summo Pontifice , exercitum collegit pro defensione Orientalis Ecclesiae , à Saracenis oppressæ . Esto itaque quod S. Bernardus exprimeret intellexerit , non decere Pontificem , tamquam militem armatum , ad prælia procedere , cum scriptis non debere sua manu gladium exerere ; novit tamen Pontificem potestatem habere sua manu materialem gladium exerendi , ubi Ecclesiæ necessitas postulet ; id est suo nutu , suo iussu , Ecclesiastici patrimonii expensis ; quemadmodum & cæteri Principes suo nutu , suis sumptibus exercitum instruentes , censentur sua manu evaginare gladium , ipsis à Deo pro sui defensione status concessum . Nec minus conveniens est Principem sæcularem ad defensionem suæ ditionis , suo nutu , sua manu gladium evaginare , id est militibus copiis se præmunire , quam Pontificem : non enim minus est suæ ditionis Dominus Romanus Pontifex , quam Princeps sæcularis sit Dominus sui principatus ; proinde non minus decet Principem suum statum , quam Pontificem Ecclesiam , & Ecclesiæ jura , eo meliori modo quo potest custodire .

Sed ut magis contrà Sectarios urgeat argumentum , fiat hypothesis , quod inveniatur Princeps , qui injustè ab alio Principe vexationem patiatur , nec ullum , Principi sic vexato , suppetat medium ad vexationem redimendam , quam implorare auxilium Pontificis , à quo depositat , pro retundenda injusta vexatione , militares copias , quas Pontifex juxta quod in sacris paginis scriptum est , *subvenite oppressō* , ultrò concedat ; nonne in hoc casu laudabiliter non modò suo nutu , & iussu , sed & sua manu , nempè per suos proprio stipendio ductos milites , Pontifex materialem gladium evaginaret , ut Principi injustè oppresso auxilium impenderet , & ab injustè illatis vexationibus redimeret . Quid ni ergo valeat contrà oppressores Ecclesiæ materialem gladium exerere , cum negari haudquaquam posset utrumque gladium fuisse Pontifici à Christo concessum . Sed planè inutilis fuisset concessio , si urgente Ecclesiæ ne-

cessitate, non posset Pontifex & spiritualem, & materialem gladium adhibere. Ecclesia Orientali inter angustias languente, S. Bernardus excitavit Pontificem ad exerendum etiam materialem gladium; sed potius excitare debuisse Imperatorem, & Principes, si materialis gladii usum Pontifici non competere (ut perperam afferunt Setarii) arbitrabatur: Ipsa naturalis luminis ratio dictat, improbari haudquaquam posse usum materialis gladii, nutu, jussu, & manu Pontificis evaginandum, quandocumque ad defensionem sibi commissi oivilis Supremo Pastori alia non suppetunt media. Cum moderamine inculpatæ tutelæ potest unusquisque, imò debet ex jure naturæ, prout vires suppetunt, ab invasoribus vitam obscientibus se defendere, potest in tali casu unusquisque sua manu arma impugnare, nullius expectato nec nutu, nec jussu; invadentibus itaque Ecclesiæ hostibus ovile, poterit, imò debbit Pontifex, qui est Pastor, cui sicut vita propria prætiosæ esse debent oves, pro quibus timere non debet ponere animam suam, gladium non modo spiritualem, sed & materialem suo nutu, suo jussu, & sua manu evaginare. Quod si, ut par esset, urgente Ecclesiæ necessitate, Potestates sæculares pro ejusdem defensione, statim suà manu gladium exerere non ambigerent, certè satius esset Summum Pontificem, solum spiritualem gladium evaginare, temporalem verò suo nutu, per manus Principum Catholicorum impugnare. Sed quoniam sæpè comprobavit experientia (eo quod ut plurimum unusquisque querat quæ sua sunt) Ecclesiam ab hæreticis, aut schismatis oppressam, etiam jubente Pontifice non obtinuisse imploratum subsidium copiarum militarium. Hinc est quod Pontifices aliquando, etiam sua manu materialem gladium fuerunt adhibere coacti. Et hæc, pro intelligentia genuini sensus D. Bernardi, in præsenti materia sufficiant. Videri insuper potest Gloss. in cap. *Unam sanctam*, ubi præsens Bernardi locus commodè explicatur. Epistola Gregori Nonni, in qua de dupli gladio Pontificis, & usu utriusque

ex professo tractatur: Sicut Baronius ad annum 1053., & demum Sixtus Senensis, ubi prolixè Bernardi verba explicantur, eaque à sinistris interpretationibus hæreticorum vindicantur.

## S E C T I O S E X T A

*Non sum inquis melior, quām patres mei, quem illorum domus exasperans, non dico audivit, sed non irrisit? Id ē tu insiste magis, si fortē audiant, & quiescant: insiste & resistentibus. Dicendo hæc, fortē nimius dicar; Num nostra illa vox: Insta opportūnē. Nunc si audes, nūm appellato. Prophetæ præcipitur: Clama, ne cesses. Ad quos: nisi ad sceleratos, & peccatores: Annuncia, inquit, populo meo sclerata eorum, & domui Jacob peccata eorum. Prudenter adverte, & sceleratos perhiberi, & populum Domini &c.*

**P**rælatorum munus esse potissimum insistere ad emanationem prævaricantium, docet præfatis verbis S. Bernardus, neque debent ab opere conversionis desistere, quantumvis scelerati sint, & peccatores, ad quos sua salutaria dirigunt verba, & monita; quamvis ad irrisiōnē potius, quam ad conversionem proclives suos animadvertant auditores; ideo debent magis insistere, si fortē audiant, & quiescant. *Insta opportūnē, importūnē*, monet Doctor Gentium Timotheum, & in eo omnes Episcopos. *Clama ne cesses* dicit Isaías. Scelerati sunt, peccatores, & obdurati qui audiunt, esto, sunt simul, & semel populus Domini, animæ pretioso Christi sanguine redemptæ: potens est Deus fuscitare semen Abrahæ de lapidibus. Cæci sunt, potens est Deus oculos peccatorum aperire, qui sputo liniens oculos cæci nati, etiam aperuit. Irrident verba salutis, quæ ad ipsos dirigunt prædicatores evangelici. Esto: in hoc gaudent, qui solam querunt Dei gloriam, & in hoc solum gloriantur, si valeant propter Christum sustine-

stinere opprobrium , opprobrium fieri vicinis suis valde . Christus ipse , pro salute animarum , factus est gentibus stultitia . Sunt dura fronte , & indomito corde , esto , non tamen indomabili . Hactenus obdurati fuerunt in malo , non resipuerunt . Poteſt fore quod necdum fuit ; apud Deum non est impossibile omne verbum . Munus apostolicum est incessanter operari ad salutem animarum , omnem mouere lapidem ut convertantur , ita ut unusquisque ad munus Episcopale assumptus possit dicere : *Popule meus quid debui facere , & non feci . Si sic fecit in sua Dioceſi Episcopus , & non profecit , nihilominus satisfecit muneri suo . Curam non curationem exigit Deus à pastoribus ecclesiasticis .*

## C A P U T Q U A R T U M

### S Y N O P S I S .

*Egregium virtutum catalogum in praesenti Capite conspicendum exhibet S. Bernardus , quibus ornari debent Cardinales Legati , & Episcopi , ad quorum justitiam , non sufficit quod justi sint , nisi pios , & justos adsciscant collaterales , quibus peccantibus justificari haud quaquam potest Prælatus ; peccata siquidem collateralium , & domesticorum Episcopi , recidunt in ipsum Episcopum . Quapropter non modo Pontificis , sed omnium Episcoporum potissimum studium esse debet , moribus ornatos feligere collaterales suos ; Quanta vero consideratione prævenire debeat electionem Cardinalium Summus Pontifex , numquam satis expressivis sensibus potest enunciari . De toto orbe digniores utique inter dignos sunt eligendi , qui totius Catholici Orbis judices constituantur ; excludendi proinde , qui ambiant , & cooptandi , qui tanto oneri se subducunt , qui verentur , qui non ad honorem , sed ad onus respiciunt , qui cooptari timent , non qui subdola humilitate , vel importunitate adhibita protectorum , obtinere erituntur ; si enim non merito , sed humano quocumque alio*

*alio motivo impellente, quis promoveatur ad altiora, sic promotus postmodum gravis fiet ipsimet promotori; quotquot enim non meritum, sed patrocinium promovet, statim fastus, & arrogantia fascinant; tunc intelligunt Principes, quod quæ sunt cum respectu ad carnem, aut sanguinem, comitem habent pœnitentiam. Necesse demum in aulis admittere viros probatos, & probos, non probanos: honore dignus est, qui se judicat magis indignum.*

## S E C T I O P R I M A

*Veniamus ad Collaterales, & Coadjutores tuos. Hi seduli tibi, bi intimi sunt. Quamobrem si boni sunt, tibi potissimum sunt, si mali, æque plus tibi.*

**C**onfidentiam acquirunt Principum, qui in præstanto eis obsequio majorem exhibent sedulitatem, nec est ut plurimum, qui se magis sedulum exhibeat Principi, quam adulator. Hinc est quod sæpe in aulis maiores adulatores facti sunt intimi Dominorum suorum. In omnium ore adulatio reprobatur, nihilominus ferè omnibus placet. Ad eò enim versuta facta est, ut blandè sese insinuare noverit, & cor possidere, cui famulari aggreditur. Difficile est Collaterales Principum, simul & semel adulatores non esse, propterea quantum seduli, tantum intimi sunt, hinc est quod Principes, non sine sedula consideratione, prævenire debent electionem collateralium suorum; quamobrem *si boni sunt, Principi suo boni sunt, si mali, Principi suo æque plus nocent.*

## S E C T I O S E C U N D A

*Nec te dixeris sanum, dolentem latera: hoc est ne te dixeris bonum, malis innitentem.*

**Q**uantumvis per se bonus sit Princeps, bonum haud-  
quaque regimen exhibere potest, si malis circum-  
septus

septus sit collateralibus; cum enim non possit omnia, quæ ad regimen spectant providere, & necesse habeat ope collateralium uti, si mali sint collaterales, etiam quæ Princeps bene providerit, illi male dispensando, ipsam Principis bonitatem in regiminis perniciem convertunt; propterea *bonus dici haudquaquam potest Princeps, malis innixus collateralibus*; quod si Princeps bonus non est, neque poterit bona providere populo suo. Siquis de populo deviat solus perit, at Principis error multos in perniciem involvit, & tantis obest, quantis præest. Non præsunt Principes ut perdant, sed ut servent. Nihil autem interest sive perdant per suam, sive per malitiam collateralium suorum. Per quem Principes regnant, ipse eos præfecit populis tuendis, non subvertendis: quid autem interest coram Domino, sive populi subvertantur a malitia Principis, sive a versutia collateralium suorum. Calamitas utique numquam satis deplorabilis, videre Principes, qui certè pro sui munere principatus laudabiliter præcessent, a malitia collateralium circumventos, vituperabile regimen exhibere: judicium portabunt qui pravis consiliis bonos principes pervertere student. Hoc unum a Principe exigit Deus, ut laudi bonorum, & vindictæ malorum intendat; proinde bonus haudquaquam dici potest Princeps, si malis innitur collateralibus, quorum malo consilio boni regiminis ordo pervertitur, & Principis fama patitur detrimentum: non sufficit Princi bonum esse, nisi & bona provideat; huc collimant sequentes Sancti Bernardi sensus, quibus ad collateralium sanam electionem Eugenium Pontificem excitat.

## SECTIO TERTIA

*Aut si bonus sis: bonitas tui solius quem fructum afferre potest? sicut in superiore libro dixisse me memini. Quid, inquam, emolumenti afferit Ecclesiis Dei, tua unius hominis justitia; ubi sententia prævalet aliter affectionum?*

Sed

*Sed nec tuta tibi bonitas obſeffa malis, non magis quam  
sanitas vicino ſerpente. Non eſt quò te ſubducas malo in-  
teſtino.*

**N**on ſufficit eſſe bonum ſibi qui praeſt, niſi ſit bo-  
nus & Subditis: Commendabile, imò neceſſe eſt  
Principem eſſe bonum, eſſe juſtum; at eſſe non potheſt  
bonus, & juſtus aliis, qui non eſt ſibi bonus; ſed ſi ſibi  
ſoli ſtudeat eſſe bonus, aliis neglectis ſuā p rovidentiaē com-  
miſſis, jam non bonus, ſed malus eſſe perhibetur; quip-  
pe qui non ſatisfacit muneri ſuo, quod indiſpenſabiliter  
exigit eum, qui praeſt, non modo propriæ, ſed aliorum  
etiam invigilare juſtificationi; & tam à ſe, quam à ſub-  
ditis debet pro viribus omne malum avertere; ſed ab il-  
lis præcipue, qui quò magis ſeduli, etiam magis intimi  
ſunt; quòd ſi intimi, & mali, non eſt quò ſe Princeps  
ſubducere valeat à malo intestino; morbi quò magis in-  
testini, eò diſſicilioriſ ſunt curationiſ.

#### S E C T I O Q U A R T A

*Et è regione bonum domesticum eò amplius,  
quò ſepiuſ juvat.*

**D**omus Principis ubi ſit ad probitatem cōpoſita, ſo-  
latium eſt Principi, ceterisque incitamentum ad ex-  
colendas virtutes. Si fulgeat inter domesticos aulæ com-  
poſitio morum, ſtatim in toto regno emulantur ſubdi-  
meliora chariſmata: bonum domesticum, etiam extera-  
bona comitantur; è converſo, hæc nihil juvant, ubi do-  
mesticum bonum deficiat. Quid enim ei prodeſſe poſſunt  
divitiæ, & honores, ubi inter proprios lares deficit cha-  
ritas, & aſſluunt vitia, quæ habitare vētant domesticos  
unanimes in domo, quorum alii invidiā, alii ambitione,  
aut ceteris hujusmodi vitiis fatigantur; proinde nulla pax,  
nullus ordo, nulla quies, nullum bonum Domino, ubi

à domesticorum malitiâ gravatur; è regione *bonum domesticum* èd amplius, quò sæpius juvat, juvat inquam non tantum ad Domini solatium, quàm ad subditorum profectum.

### SECTIO QUINTA

*Sed sive levent, sive gravent; cui rectius imputandum, quàm tibi; qui tales aut elegisti, aut admisisti.*

**P**eccata Collateralium recidunt in Prælatum, ipsius si quidem est prævidere, ut dignos suo ministerio Collaterales feligat. Certum est quod dominorum bonitatem, domesticorum malitia, Principum gloriam, ministrorum pravitas semper deturpavit. Sibi imputent Principes si gravi sub onere regiminis aliquando succumbunt, quandocumque regiminis damna ab inconsiderata ineptorum elezione ministrorum persæpè proveniunt; studeant itaque in ministros eligere, in Collaterales admittere, qui sic sciant disponere negotia rerum exteriorum, ut norint per omnia præponere lucrum animarum, decorem Principis, utilitatem subditorum, non suum singulare incrementum; qui omnis laboris sui solatium studeant reponere in profectu populorum, suis etiam ultro renunciantes commodis, ut studeant alienis. Veri Ministri, & Collaterales Principis, vix debent sibi vacare, ne se subtrahant subditis; qui tales elegerint, utique alleviatum sentient onus regiminis: *Sed sive Ministri levent, sive gravent Principem, cui rectius imputandum, quàm ipsimet Principi, qui quales elegerit, & admiserit, tales experietur Ministros suos.*

### SECTIO SEXTA

*Non de omnibus dico: nam sunt quos non elegisti, sed ipse te. At potestatem non habent, nisi quàm tu eis, aut tri-*

*tribueris, aut permiseris. Ad idem ergo revertitur; tibi imputa quidquid pateris ab eo, qui sine te potest facere nihil.*

**T**anta est Ministrorum auctoritas, quanta est à Principe Ministris collata potestas, potestatem enim non habent, nisi quam eis Princeps, aut tribuerit, aut permisit; oneri regiminis primariò tenentur ex munere principali Principes ipsi succumbere. Qui onus regiminis ferre recusat, nec regnet: Deus enim per quem Reges regnant, cum justicias judicabit, primariò à Regibus, non à ministris exigit commissi rationem regiminis. Ubi Principatus pendet à votis, videtur quod electus in suo regimine propensum se exhibere teneatur electoribus, quos novit in sua electione partiales; quapropter hi sàpenuero potestatem sibi arrogant, quam non habent; & pro retributione electionis, quodammodo vellent electum omnia disponere ad eorum placitum: rectè hoc, dummodo citrà præjudicium conscientiæ, atque regiminis. Nam electores in voto concludente in favorem assumpti ad Principatum, vel operati sunt juxta conscientiam, digniorem eligentes, & satisfecerunt muneri suo, vel citrà conscientiam, & timere debet Princeps, ne quod perperam fecerint in electione, id & præstent in administratione; itaque invigilete majorem potestatem exerceant, nisi quam eis aut tribuerit, aut permisit, & sibi soli imputet, si quid patitur ab eo, qui sine se potest facere nihil.

### S E C T I O S E P T I M A

*His exceptis, de cætero non inconsideratè, ut vides, eligendi quique, seu colligendi sunt in opus ministerii hujus. Tuum est undecumque evocare, & adsciscere tibi, exemplo Moysi senes, non juvenes: sed senes non tam aetate, quam moribus, quos tu nosti, quia senes populi sunt. An non eligendi de toto orbe, orbem judicaturi.*

**D**E electione Cardinalium utilissimè hic S. Bernardus monet Pontificem, quos non ex una gente, & natione, sed de toto Mundo eligi debere insinuat. Causis, & negotiis, per omnem Ecclesiam emergentibus, cognoscendis, statuque omnium gentium explorando, præficiuntur Cardinales, qui si ex una tantum, aut paucis eligerentur nationibus, utique tot diversarum gentium, quæ genio, moribus, loco, lingua sunt inter se dissitæ, haudquaquam possent sufficientem habere cognitionem, omnino tamen necessariam, ut Ecclesiarum omnium necessitatibus valeant providere; neque enim graviores in regimine committuntur errores, quam ubi qui præsunt, statum Reipublicæ ignorant. Cum autem Christiana Respublica sit per universum Orbem dispersa, & tot diversas amplectatur nationes; nec fieri possit, ut ex unica natione viri, perspectos habeant cæterarum orbis nationum mores, indolem, necessitates, divitias, paupertatem, temperiem, complexionem, vires, imbecillitatem, terræ etiam ubertatem, vel sterilitatem, quæ omnia pro discreta Ecclesiarum omnium providentia consideranda sunt, hinc patet necessitas feligendi ex toto orbe Cardinales, qui simul omnia præfata perspecta habeant, ut consonam omnium nationum moribus, in his quæ ad Ecclesiæ regimen spectant, exhibere valeant providentiam. Præterquamquod docet experientia, eos omnes quibus agendarum rerum commissa est provincia, ut plurimum erga suam nationem se exhibere propensos, magisque inclinare ad promovendam utilitatem suorum concivium; hoc enim quodammodo natura omnibus invidit, ut unusquisque pugnet pro patria sua; & in exhibenda providentia, certum est quod Ministri magis propensi sunt ad promovendum suæ Nationis, quam exterarum incrementum; ne igitur in providentia, quæ erga totius Orbis Ecclesias ab Urbe Roma exhibenda est, possit aliqua natio conqueri se esse despectam, eo quod in ministerio Ecclesiastico apud Pontificem, singulares non habeat patronos, ideo de toto

Or.

Orbe eligendi , quantum fieri potest , Orbem judicaturi , & unamquamque nationem , necesse quodammodo est , peculiarem sortiri ex Cardinalibus apud S. Sedem protectorem , qui sibi specialiter commissæ nationis jura promoveat ; ne ulla natio in Ecclesia Catholica , quæ ex omnibus adunata est nationibus sub Romano Pontifice , conqueri possit quasi despœcta apud S. Sedem . Hac de causa in initio Ecclesiæ factum est murmur græcorum adversus hæbraeos , eò quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum : ad avertendum excitatum murmur , sumpserunt consilium Apostoli eligendi ex diversis nationibus probatos viros , quos constituerent super opus , & ministriarent . Quo exemplo docentur Pontifices ex toto Orbe Cardinales eligere , quos providendis universalis Ecclesiæ necessitatibus , peculiares habent Ministros , per quos cum omnium gentium Principibus , & Regibus , pro Ecclesiæ regimine dirigendo , tractare debent : propterea expedit in Concilio esse omnium gentium Optimates , quorum opera , negotia facilius tractentur . Denique ne in Concistorio , & judicio Ecclesiæ , quod par est omnium esse sincerissimum , studia , & æmulationes nationum sentiantur , dum natio aliqua se contemptam esse posset arbitrari , eò quod sibi deessent patroni , & fautores apud S. Sedem , ideo de toto Orbe eligendi Cardinales , totum Orbem judicaturi , ex quibus cum eligi beat Pontifex , qui esse debet Pater communis Catholicorum omnium , congruum est feligi ex coetu , in quo de toto Orbe congregati sint electores . Hic fuit sensus Concilii Tridentini sess. 24. c. 1. de reform. ubi sic legitur : *Cardinales Romanus Pontifex ex omnibus Christianitatis nationibus , quantum commodè fieri poterit , prout idoneos repererit , assumet .* Quare autem Sacra Synodus Cardinales eligendos voluit de toto mundo , nisi ut semper perspectum habeant , quod cum una tantum sit natio Catholica adunata de toto mundo , nulla debet esse æmulatio inter filios ejusdem nationis Catholice , unam componentes Rempublicam Ecclesiasticam in toto mun-

mundo, sub uno capite Romano Pontifice, sub quo omnes Catholici sunt unius, & ejusdem corporis membra. Quid juvat dicere ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephae, ego autem Christi. Divisus est Christus? Ecclesiasticae Republicae membra, omnia membra sunt ejusdem corporis; omnes per Deum vocati sunt in societatem filii ejus Iesu Christi; omnes, quatenus de hac sunt societate, ejusdem sunt nationis, nempè Catholicæ: neque attendendum in electione eorum, qui in hac societate sedere debent in soliis indicantium, ego sum Gallus, ego Hispanus, ego Germanus, ego Italus. *Sed eligendi de toto mundo orbem judicaturi.* Digniores eligendi quique, seu colligendi sunt in opus ministerii hujus. Non ad Orbis plagam in quâ nati, sed ad merita, & virtutes quibus ornati sint, attendendum. Colligendos itaque Cardinale de toto mundo, asserit S. Bernardus, præcipit Sacra Synodus, ut intelligent exemplo omnium bonorum operum debere toti illucescere mundo. Quod si ita est, utique induere Purpuram, gravem est sibi imponere Sarcaenam; nonnisi cum exuviis mortalitatis deponendam. In hac meditatione legimus, quod serio cum exardescerent plures ex illis, inter mortis angustias, serà tamen quærelâ, auditи sunt exclamare: *Quoniam elevans allissi me.* Quia in illis extremis constituti, qui electi fuerant de toto Orbe Orbem indicaturi, cum jam propè adstarent quoram toto Orbe à Deo judicandi, suorum judiciorum, quæ in hoc mundo exercuerant, accusatores fuerunt sustinere coacti, & confusi, quos in vita supplices ad eorum audienciam accedentes, confusos rejecerant, quibus imploratam opem non impenderant, quos nonnisi tumida facie, & transeunter receperant, quorum necessitatibus intelligendis, & discutiendis, ut imploratam darent providentiam, tempus defecerat, cum tamen, ad audiendos narrantes fabulationes, abundaret: proinde jure timentes, ne quia in vita umiles, & solliciti in suo munere vivere despexerant in domo Dei, destinarentur in morte ad habitacula peccatorum, exclama-

mabant: *quia elevans allisisti me.* Utique qui de toto Orbe eliguntur Orbem indicaturi, si tam serio muneri, ut par est, se pares exhibere satagunt, difficile tempus invenient, quod in aliis negotiis absolvendis impendant.

### S E C T I O   O C T A V A

*Sanè hūc negotio non se ingerat rogans; consilio non prece agendum est. Sunt quæ necessariò à nobis rogantium aut extorquet importunitas, aut necessitas meretur. At istud in his quæ nostra sunt. Ubi autem non licet, quod volo facere, quis locus roganti: nisi forte qui me rogat, hoc rogat, ut quod vult, hoc liceat mibi, & non magis ut velim. Alius pro alio; alius forte & pro se rogat; Pro quo rogaris, sit suspectus. Qui ipse rogat pro se, jam judicatus est. Nec interest, per se, an per alium quis roget.*

**P**ontificium opus dignè nequit administrari, pastorale onus haudquaquam potest sustineri sine ope consilii; sapienter igitur cogitat, qui ad Pontificium ministerium assumptus acquiescit consiliis, nam ipsa consiliorum mater sapientia, de se ipsa loquens, ait: *Ego sapientia habito in consilio, sed quali consilio, numquid in qualicumque, numquid suggestionibus importunè rogantium inclinat, vel eorum, qui ratione diutinæ consuetudinis cum Pontifice, cum Principe, cum Præsule, eos familiarius visitant, frequentius pulsant, molestius sollicitant, usque dum quæ rogan, quæ consulunt tandem extorqueant. Absit, absit. Ego sapientia habito utique in consilio, sed simul & semel eruditis intersum cogitationibus.* Pauci admodum sunt viri boni consilii, rara profectò sunt consilia, quæ eruditarum foetus sint cogitationum, in quibus scilicet consulentes suam probent simul & semel cum prudentia æquitatem. Solum consilium quod prudentia dicit, & æquitas probat admittendum. Sed veh' nostro generi ab imperfectione

ctione sua; vix in multitudine hominum paucos est inventire, qui in utraque gratia prudentiæ, & æquitatis sint consumati, qui scilicet consilium exhibentes, aut imprudentiam suam non manifestent, aut quæ sua sunt non querant. Quicumque ad consilium vocati rogant, aut præce agunt, jam convincuntur quæ sua sunt querere; qui ad Principis decus, ad populi solatium consilia sua non dirigunt, jam patet ultra æquitatem sensum suum proferre. Soli itaque ad consilium eligantur, qui cum prudentiâ habeant æquitatem. Talibus consiliariis Princeps bonam servat famam, & conscientiam in operibus suis. In dispensatione dignitatum non se ingerat rogans, quandoquidem in his consilio agendum, non præce; pro quibus rogatur Princeps suspectos habeat, necnon, & pro se rogantem:  
*Qui roget pro se jam judicatus est; nec interest pro se, an per alium quis roget.*

### S E C T I O N O N A

*Clericum Curiam frequentantem, qui non sit de Curia;  
ad idem noris pertinere ambientium genus.*

**C**lericos in Curiis frequentes, meritò de ambitu esse suspectos, adeoque honoribus, quos ambiunt indigos, censendum est. Clericus in Curia si ad optandum frequens appareat, non solum de ambitu est suspectus, sed poenè convictus; unusquisque Clericali militiæ addictus, in eo gradu in quo est constitutus, tenetur in sua respectivè Ecclesia ministrare; tam sanctæ plurium Conciliorum sanctioni, utique satisfacere haudquam potest, qui cum non sit de Curia, Curiam frequentat, qui hujusmodi est, si non ad ambientium, certè ad otiosorum genus pertinere convincitur: sed nihil interest an Clericus ambitione intumescat, vel otio torpeat, ut se probet indignum militiæ, cui nomen dedit. Sed hoc magis indignum, & minus ferendum, si Præfules, & Prælati neglecti resid-

dentiā, & posthabitis ovibus, hæreant in Curiis, & Aulis, ut præbeant se asseclas Regum, & Procerum; utique qui tales detinent finē causa, & non remittunt ad suos, fortè non erunt minus culpabiles. Miserabile certè boni omnes illud judicant spectaculum, cum videntur Episcopi, qui malunt famulari in Aulis, quām in suā Dioecesi, suum abeundo munus, Christo servire. Nisi gravi de causa, constat Episcopos dispensari haudquaquam posse à sua residenzia, quam jus clamare divinum, plurimum est Canonistarum sententia; nam sicut de jure Divino tenentur Episcopi ad ovium sibi commissarum custodiam, nonnisi contra jus Divinum peccantes, à suo se possunt subducere, ovili: Ex Episcoporum absentia, ut plurimum animæ suo viduatæ pastore gementes, gravia sustinent scandala, & graviora paventes expectant pericula; disperguntur enim, peregrinante pastore, sive quas secum comites peregrinationis dicit, sive quas deserit oves. Quà interī ratione Episcopus à sua se subducens Dioecesi, multorum faciendo ruinam, etiam se posse ruere non timeat, & præsumat, cum in hoc positus sit, ut non quod sibi utile, sed magis quod aliis, peragat, nec quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi quærere debeat. Quomodo securus abit, qui gregi sibi commisso omnem aufert securitatem, cum vix sit invenire, qui absente Episcopo occurrat lupis incursantibus, qui consoletur in tribulationibus, qui provideat in tentationibus, qui denique leoni resistat rugienti, & quærenti quem devoret: patebunt sine dubio morsibus malignantium, qui devorant plebem Christi sicut escam panis. Quæcum ita sint, judicet Episcopus, qui sub emendicato prætextu vel suæ salutis, vel suæ quietis, Dioecesim suam deserit, quale ejus absentia sibi bonum erit cum tantis malis.

Quanto cum animæ suæ dispendio, à cura pastorali se subducat Episcopus, negotiis alienis, quocumque sub specioso prætextu, vel in Aulis Principum, vel in Curia, vacaturus, manifestius colligitur ex testimonio SS. Patrum, efficacissimisque rationibus probatur, neque propter

divinæ contemplationis quietem, posse eum, qui animarum à Deo constitutus est pastor, animas suæ fidei commissas deserere; aut illum, qui à Deo ad animarum curam vocatur, posse ab eadem se subtrahere, sub colorato prætextu vel insufficientiæ, vel insistendi devotius propriè animæ saluti; Quidquid contra sentientes, positionem suam stabilire studeant exemplo SS. Antistitum, qui ut Deo plenius vacarent, curæ pastorali renunciarunt. Quisquis curam pastoralem assumpsit, vel humanis artibus consequi studuit, vel divinæ dispositioni acquievit. Quoad eos itaque, qui spe lucri, honoris, & fastus, ambientium adhibitis artibus, contrà quas canonicae sanctiones adeò invehuntur, prælaturas adepti sunt, certum est teneri ex debito suæ conscientiæ, sub titulo plenius, & quietius vacandi Deo, prælaturam dimittere, ad quam se per ostium non intrasse, proprio stimulante reatu, ignorare non valent; neque de his sermonem instituere hic intendimus, ubi discutimus an liceat renunciare curæ pastorali, ad quietius vacandum Deo, & propriæ saluti. Sed sermo ad eos dirigitur, qui divinæ acquiescentes voluntati, pastorale onus suscepérunt, ut manifestius appareat, quām grave malum sit, Episcopum identidem à sua residentia abscedere, quandoquidem neque ad quietius vacandum Deo, & propriæ saluti, licet curam pastoralem deserere. Certum itaque est, nullatenus prò contrariâ assertione suffragari Sanctorum licet Episcoporum exempla, qui amore quietis æternæ, pastoralem sarcinam dimiserunt; inter quos proferri potest S. Petrus Damiani, ex Monacho Ordinis Sanctissimi Patriarchæ Benedicti Episcopus, & Cardinalis Hostiensis, qui postquam pro ratione officii, & dignitatis, causam Ecclesiæ annis aliquot strenue, & mira constantia gessisset, amore solitudinis, & quietis, Cluniacum reversus, abdicato Episcopatu, vitam cum Monachis deinceps in tranquillitate exegit: mirabile utique factum tanti viri, doctrina, & sanctitate conspicui. Nihilominus Episcopatuni amore quietis internæ abdicare meditantibus, non suffragatur, non modo quia plu-

plura Sanctorum facta scimus potius admiranda esse, quām imitanda, sed quia ignorare non possumus S. Petrum Damiani, hac de re, acriter redargutum fuisse à Summo Pontifice, eò quod salutem publicam privatæ quieti, vir utilis, & idoneus posthabuisset; sed si legibus potius, quām exemplis judicandum est; videndum restat quid SS. Patres doceant, quid ratio, & canones præcipiant. Doctor Angelicus sequentibus verbis suam profert sententiam: *S. Thom. Proximorum salutem, ad quam procurandam se se pastor obligavit negligere non debet, nec propter divinæ contemplationis quietem; cum Apostolus ob subditorum necessitatem, etiam à futura vita meditatione se differri patienter toleraret.* Sanctus Augustinus non absimilem habuit in præsenti materia sensum, ad Eudoxium Abbatem scribens his sensibus: *Vos autem fratres exhortamur in Domino, ut propositum custodiatis, & usque in finem perseveretis, ac si quam operam vestram mater Ecclesia desideravit, nec elatione avidâ suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis, sed miti corde obtemperetis Deo, nec otium necessitatibus Ecclesia præponatis.* Sed & plures Pontifices efficacissimis rationibus deterrent Episcopos à dimissione curæ pastoralis, ob motivum quietius vacandi Deo, & propriæ saluti. Videndi proinde, præ ceteris, Liberius Papa Epistola ad omnes Episcopos; Leo Primus ad Rusticum Narbonensem, Innocentius Tertius ad Episcopum Arelatensem. Imitandus profectò ab omnibus Episcopis, Episcoporum norma S. Martinus, qui etsi corporis viribus destitutus, orabat: *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Quacumque virtute fulgeat homo in hac vita, si charitatem non habeat, nihil habet; nulla autem major charitas, quām pastorem animam ponere pro ovibus, quandiu earum saluti potest proficere; propterea salus propria à pastorali régimine non valet excusare, non enim melius operari potest Episcopus propriam salutem, quām cum ad solam Dei gloriam laboret, & invigilat pro salute ovium suarum; utique sa-

tius est cuicunque Episcopo , Deo ad laborem vocant̄  
acquiescere , quām propriæ tranquillitati consultum ire ,  
dummodo testem habeat conscientiam suam , se non  
quaesivisse , non optasse Episcopatum , non elegisse locum  
superiorem , non inhiasse honori , imò honorem para-  
tum esse , si liceret ( quemadmodum , & libet ) abdica-  
re . Cuicunque Episcopo , qui Episcopatum non qua-  
sivit , sed soli Dei voluntati , sic de se disponenti , ac-  
quievit , dicit Christus in persona Petri : *Si me amas ,  
pasc e oves meas ; quis autem erit , qui respondere audeat  
Domino , nolo pascere oves tuas , nisi plus seipsum amet  
quām Deum : nullatenus ergo deponenda est , amore quie-  
tis , & propriæ salutis , pastoralis sarcina , quandocunque  
confestet à Deo fuisse impositam , non quæsitam , non op-  
petitam , non rogatam , non prætensam , non malis artibus ,  
quibus Bulla contra ambientes dicit anathema , consecu-  
tam . Sed forte sinè causa his immoramus , si mores sæ-  
culi nostri respicimus . Nunc in prælaturis capiendis freno  
potius , quām calcaribus egemus , jam magis à quærendis  
hujusmodi dignitatibus , quām à dimittendis , homines de-  
terrere necesse est . Olim cùm ad dignitates Ecclesiasticas  
promovendi onera pensarent , stimulis opus habebant ad  
illas suscipiendas , nunc cum honores potius spectentur ,  
& ambitio plusqānt devotio terat limina Apostolorum ,  
frenis potius sunt coercendi homines , qui utcumque ad  
Ecclesiastica aspirant fastigia .*

## S E C T I O D E C I M A

*Adulantem , & ad placitum cuiusque loquentem ; unum de  
rogantibus puta , etiam si nihil rogaverit . Scorpioni non  
est in facie quod formides : sed pungit à cauda .*

**A** Dulatores dant verba , ut munera reportent ; proin-  
dē adulantem , & ad placitum cuiusque loquentem  
*unum*

unum de rogantibus puta , etiam si nihil rogaverit : vana sunt & verba , & munera ; vana hæc , sed illa amplius , propterea decipiunt adulatores de vanitate in id ipsum : sed magis decipiuntur adulantium fautores ; fautor enim dat adulanti quod utcumque pluris est , sive munus sit , sive beneficium , dat immeritis , dat diligentibus non aliena , sed sua ; adulatores munera diligunt , retributiones sequuntur , & aliena quoad possunt mercantur , fucatis verbis pro pretio exhibitis . Blanda , sed periculosa laus adulatio[n]is , per hanc enim laudatur peccator in desideriis animæ suæ , & iniquus benedicitur ; habent adulatores in verbis suis lac , & oleum , sed venenosum , sed mortiferum ; similes utique scorpionibus , in quorum facie non est quod formides , sed pungunt à cauda . Quis absque dolore cernere valeat Ecclesiæ proceres , de labiis adulantium fugere escam mortis , peccati fomitem . Utinam procul ab Aulis semper exules viverent fraudulenti , qui cum in faciem benedicunt , probris omnium , atque ludibriis exponunt eos , quibus dicunt euge , euge . Orbis fabulam faciunt , imò fabulam orbi ; Proinde vir probus , & sapiens erit sollicitus servare vineam suam à vulpibus , id est ab assentatoribus . Pessima vulpes adulator blandus , ad placitum cujusque loquitur , tunc magis rogat , cum minus rogare se simulat . Videbitur forte non esse in facie quid formidare possis ab eo , sed pungit à caudâ .

## S E C T I O U N D E C I M A

*Si ad talium blandicias , cor tuum , (ut affolet) molliri senseris , memineris scriptum . Omnis homo primum bonum vinum ponit : cum autem inebriati fuerint , tunc id quod deterius est . Pari pondere estimaveris ejus humilitatem , qui timet , & ejus , qui sperat . Viri , & callidi , & dolosi proprium esse solet , tunc pretendere humilitatem , cum aliquid obtainere voluerit . De quibus dicit Scriptura . Est qui se humiliat nequiter , & interior-*

*teriora ejus plena sunt dolo. De vobis ipsis sume sententiae hujus evidens, ac familiare exemplum. Quantos, quos supplices admissisti; postmodum sustinuisti graves, insolentes, contumaces, rebelles. Quod quidem interius malum tegunt principia, posteriora produnt.*

**S**Ubdola ambientium humilitas hic perstringitur à Divo Bernardo, qui non minus ad excolendas virtutes, quam ad manifestandas vitiorum versutias, semper fuit intentus, optimè conscient, quod vitiorum latebras manifestare, idem est ac vitium conterere. Non itaque semper humilis est, qui humilis apparere enititur: solet ambitiosus tunc prætendere humilitatem, cum aliquid obtainere desiderat, & exaltari; propterea ambienti consonat, quod scriptum est: *Se humiliat nequiter, & interiora ejus plena sunt dolo;* Siquidem propter ambitionem paratum se exhibet universa subire pericula, sustinere odia, dissimulare opprobria, negligere maledicta, & quæ non sustineret propter justitiam, patitur propter ambitionem. Ambitio ambientium Crux, nil acerbius cruciat, nil molestius inquietat, nil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis ejus. O perversitas, o abusio ambientium, qui cum optimè noverint difficillimum esse ascendere, descendere simulant, ut possint elevari, & ideo humilitatem prætendent, cum obtainere aliquid volunt. Sententiae hujus evidens, ac familiare est in Aulis, non modò sacerdotalibus, sed etiam Ecclesiasticis exemplum, ubi inventiuntur passim, qui etiam in senili ætate infatigabiles se exhibent, non propter gloriam nominis Jesu, sed ut ad nomen grande ascendant, vel Episcopi, vel Patriarchæ, vel Nuncii Apostolici, vel Cardinalis; propterea hujusmodi honorum onere gravari, & nomine honorari, tantò indignius supplicant, quanto humilius. Quid non facit ambitio, & amor gloriæ. Episcopum agere, Nuncium, Legatum, Cardinalem, sarcina utique, & gravis est humeris, præsertim senilibus, & tamen homines jam ad canos

nos deductos fatigare incessanter videmus, ut ad præfatos honores descendant; quibus gravior videtur poena, reliquum id breve dierum suorum vivere sinè hanc pœnâ; interim non cogitantes nihil esse magis inglorium, quam gloriæ cupidum deprehendi. A' quo majora patiatur damna Ecclesia, an ab ambitiosis, an ab hereticis, non tam facilis est decisionis? Nunc quidem Ecclesiæ pax à paganis, pax ab hereticis, sed non est pax ab ambitiosis, qui suis virtutis, & molitionibus, Ecclesiæ bellum continuum intendant; quantum enim Ecclesia in his, qui verè sunt humiles corde exaltatur, tantum ab ambitiosis deprimitur. Propter ambitionem ipsa quoque Ecclesiasticæ dignitatis officia in turpem quæstum, & tenebrarum negotium transiere, tunc maximè, cum Ecclesiastica officia conferuntur his, qui non salutem animarum, sed luxum querunt dignitatum: hinc factum est, ut eorum plures, *quos Ecclesia supplices admisit, postmodum graves sustinuerit.* Veh' Ecclesiæ ab ambitiosis, sive melius dicam ab humilitatem affectantibus, quorum interiora plena sunt dolo; quò majorem humilitatem affectant, eò majorem præsumunt potentiaæ altitudinem; in amaritudinibus moratur oculus eorum, quoties videre contigerit cui se judicent posteriores, aut putent ab aliis reputari; reputari siquidem à nullo patientur, quod esse affectant. Veh' Ecclesiæ, si hujusmodi viros supplices admiserit; ullo proculdubio postmodum graves sustinebit, insolentes, contumaces, rebelles. Quanti tamen ex his usque hodiè Ecclesiam infestant: utinam pauci sint, quibus dominandi libido non dominetur; ambitionem humilitatis velo plures tegunt, sed si semel quod ambiant obtinuerint, *interiora ejus plena dolo apparent.*

## S E C T I O D U O D E C I M A

*Verbosulum adolescentem, & studentem eloquentia, cum sapientia sit inanis, non aliud quam justitiae hostiem re-*

*pu-*

*putes. Pro hujusmodi falsis fratribus dicit tibi Magister;  
manus citò nemini imposueris.*

**P**Lus sapientiæ , quām eloquentiæ deferendum esse , hic innuit S. Doctor , Eugenium instruens , quos , & quales promovere debeat ad Ecclesiastica fastigia ; & quidem multiloquos ab Ecclesiasticis dignitatibus eliminandos satis patet , nām cum difficilè sit in multiloquio effugere peccatum , neque ubi peccatum abundat , esse possit justitia ; justitiæ verò amatores esse debeant Ecclesiastici Proceres , satis patet quod *Verboſi* , & *affectatæ eloquentiæ studentes* , *sapientiæ sunt inaneſ* , & *justitiæ hoſtes reputandi* ; utique ad dignitates Ecclesiasticas non promovendi , dulcedinem habent in lingua , sed non sub lingua ; simulata dulcedo est , quæ tantum sonat in lingua , & non sentitur sub ipsa . De quo dici potest , mel & lac sub lingua tua , ipſe profectò eructat verbum bonum ; non sic verbosuli , eloquentiæ studentes , utique non sic . Dulcedo eorum tota sonat in lingua , sed non sub lingua ; multa dicunt , pauca probant , minora exequuntur . Vir sapiens ponit ori suo custodiam , & ostium circumstantiæ labiis suis , loquitur quantum necessitas exigit , non quantum garrulitas suggestit . Ecclesiæ Sponsi esse debent , qualem commendat sapientia in Canticis sponsam suam . Mel , & lac sub lingua ejus ; cum itaque Episcopi sint Ecclesiarum sponsi , verbosi autem , futili eloquentiæ studentes , dulcedinem totam habeant in lingua , sed non sub lingua , rectè monet S. Bernardus Eugenium , non esse verbosos ad Ecclesiasticum regimen erigendos , & quibuscumque qui hujus sunt furfuris , non esse citò manus imponendas . Vix est quod majorem exigit circumspectionem , quām electio Episcoporum . Episcopalis status , status est summæ perfectionis , propterea nonnisi in omni perfectione , quantum possibile est , probati viri , non probandi , sunt eligendi ; ex quo consequens est , nemini manus citò esse imponendas .

## S E C T I O D E C I M A T E R T I A

*Excluso itaque Universo hoc pestilenti genere hominum : curæ tibi maximè sit introducere tales , quos postmodum introduxisse non pœniteat . Turpe est tibi sèpius retractare quod feceris , & judicium tuum frequenter periclitari non decet . Diligenter proindè omne quod faciendum erit , tracta apud te , & cum his qui te diligunt . Tracta ante factum : Quia post factum , sera retractatio est . Sapientis consilium est . Omnia fac cum consilio , & post factum non pœnitibit .*

**P**romovendi sunt ad dignitates , quos postmodum promovisse non pœniteat : Monitum utique aureum , quod incessanter ad omnium Ecclesiæ , & sæculi Principum aures , semper resonare deberet , proindè juvat repetere . Promovendi ad dignitates , quos postmodum promovisse non pœniteat , promovendi ad dignitates quos solum meritum , non patrocinium commendat ; viros autem , quos meritum dignitatibus aptat , tenentur Principes ex debito sui muneris , & perspectos habere , & distinguere , ut oblatâ occasione possint promovere : præmium quod à Principe confertur emerito , excitat alios subditos , ut assiduo labore scientiæ , & virtutis acquirendæ , ad promerendas dignitates se se componant : quod si posthabit is emeritis , in promotionibus minus dignos efferant , scientias , & virtutes brevi ingemiscent neglectas . Verissimum est quod solus amor virtutis , ad earumdem culturam deberet homines excitare , quia virtus ipsa sibi est merces , sed non omnes capiunt verbum istud ; etiam certissimum est , quod omnis labor optat præmium , quo deficiente , amor ad virtutem refrigescit . Hæc itaque cura maxima omnium Principum , promovere scilicet ad dignitates , quos meritum commendat ; ne secus facientes , postmodum promovisse pœniteat ; scientes turpe esse sèpius retractare quod fecerint , statuta destituere , & destituenda statuere ; quæ ita-

que statuunt, matura consideratione ita debent prævenire, ut semel facta persistant; nec retractare opus habeant, maximè ubi agitur de collatione dignitatum, de eligendis Collateralibus, de promotione ad ministeria, de promulgandis sanctionibus: hoc assequentur Principes, si pauca loquantur, minora scribant, multa operentur. Viros promovere, quos postmodum promovisse pœnitentia turpe est Principi; nè ergo in suis judiciis, periclitetur auctoritas, (nil enim sic auctoritatem minuit, dignitati derogat, quam destituenda statuere) consilium quærat priusquam deliberet; qui respuit vocem consilii, audiet vocem judicij.

### SECTIO DECIMAQUARTA

*Et hoc tibi persuade, qui admittendi sunt, difficile in Curia posse probari, & ideo si fieri potest, viros probatos oportere deligi, non probandos. Nos in Monasteriis, omnes recipimus spe meliorandi: at Curia bonos facilius recipere, quam facere consuevit. Quod si plures in ea defecisse bonos, quam malos profecisse probavimus: quarendi sanè, quibus nec defectus timeatur, nec profectus optetur, utpotè jam perfectis.*

**P**robatos in Aulis admitti debere, non probandos, hoc est quod in præsenti inculcat S. Bernardus, satis conscient plures inveniri bonos, qui in Aulis defecerint, quam malos qui profecerint. Tamquam prodigium facti sunt multis, qui in Aulis vixerunt innocui: ut plurimum inter Aulicos, quod gloriam redolet, id justum habetur, omne humile probro ducitur, timor Domini simplicitas, devotio hypocrisis reputatur; hinc est quod facilius in Aulis deficere est, quam proficere; cooptandi à Principe inter domesticos, inter Aulicos, inter Ministros, quibus nec defectus timeatur, nec profectus optetur; qui scilicet jam perfecti sint. Vix enim, & per quam raro Aulæ fuerunt hominibus schola probitatis; sapienter itaque dicatum: *Probati in Aulis admitti debent, non probandi. Secundus*

cus est de Monostariis, in quibus omnes recipiuntur, probi quidem, ut justificantur magis; improbi vero ut meliorantur. Sunt enim Monasteria schola perfectionis, & qui Monasteriorum regimen assumunt, quamvis semper non sint, tenentur tamen ex munere esse probitatis magistri, & quantis praesunt, tantis esse debent verbo, & exemplo incitamentum ad perfectionem; praterquamquod Regularium professio est regeneratio; Aulicorum vero vita non sic. In Monasteriis proficiunt etiam mali, quia regenerantur in spem vitae aeternae, in Aulis saepè deficiunt etiam boni, quia solis inhiant, & vivunt rebus caducis, & temporalibus. In Monasteriis recepti gaudent sustinere in simplicitate opprobrium, & mortificari tota die; in Aulis magis latitatur, qui majorem promovet gloriam suam: illic homo suspicit ad caelestes divitias, & delectationes, quae sunt in dexterâ Domini usque in finem, hic ad mundi vanitates, & infanias falsas. Monacali professioni addicti elongant se à saeculo, manent in solitudine, quia sibi proposuerunt custodire vias duras, ut non delinquant in corde suo; ipsis bonum est expectare cum silentio salutare Dei; in Aulis vero, & Curia facilius homines à charitate desciscunt, quia quae sua sunt querunt: vident in hoc quod invident, in illo quod irrideant, fiunt saepè linguae eorum gladius acutus, & corda eorum modo per superbiam ad alta se erigunt, modo per invidiam ad imademeruntur, nunc nequiter tabescunt, nunc inaniter hilarescunt. Has autem animi vicissitudines non patiuntur, qui in Monasteriis statuerunt vivere sua forte contenti, in qua nihil querunt, nihil ambiunt, nisi solum Deum, & justitiam ejus: late Aulici semper appetunt, semper tristitia devitant; Monachi nonnisi in solo Deo gaudere discunt, servire Domino in latitia, ut ire possint de virtute in virtutem, donec perfecti sint, & videre mereantur Deum Deorum in Syon; propterea etiam improbi recepti in Monasteriis spem habent meliorandi, ut potè enutrati in schola veritatis, & è converso, qui probi sunt, ad

Aulæ auram possunt corrumpi , quæ ut plurimum se exhibet magistram vanitatis ; quærendi proinde à Principibus , quibus nec defectus timeatur , nec profectus optetur , ut potè jam perfectis . Curia , & Aula facilius bonos recipiunt , quam faciant ; dictum memorabile , & multis forte mirabile , sed experientia teste nimis verum .

### SECTIO DECIMA QUINTA

*Itaque non volentes , neque currentes assumito : sed cunctantes , sed renuentes . Etiam coge illos , & compelle intrare . In talibus , ut opinor , requiescat spiritus tuus : qui non sint attritæ frontis , sed verecundi , sed timorati : qui præter Dominum timeant nihil , nihil sperent nisi à Deo . Qui adventantium , non manus attendant , sed necessitates . Qui stent viriliter pro afflictis , & judicent in æquitate pro mansuetis terra &c.*

**E**Gregium hic habent catalogum virtutum , quibus ornari debent omnes Ecclesiæ Prælati , sive Cardinales , sive Episcopi , sive Legati , sive Collaterales Pontificis . Adeo excelsis honoribus dignorem , Pontifex judicare debet , qui se judicat magis indignum , non volentem , non currentem , non sive per se , sive per alios rogamtem , non ambientem , non cupidum . Inter Ecclesiasticos Proceres nonnisi digni recipiendi sunt , at digni planè solum sunt , qui fugiunt ; plurimi avidè honores desiderant , quia onera non considerant ; meditantibus quidem honores blandiuntur , at pensantibus onera , horroris sunt , atque formidinis . Quis credat illos recte functuros obtentis officiis , qui nequidem eorum onera , vel obligationem norunt , aut curant ? probitate , & virtute viri magis insignes , semper inviti , & coacti ad honores , & dignitate pervenerunt , & tamen quò egrius suscepserunt impositas dignitates , eò dignius , fideliusque administrarunt . Nimirum qui honorem fugiunt , non blandientem foris speciem , sed latenter intus æquuleum respiciunt , hinc ter-

territi abstinent, & fugiunt. Cum verò, & si reluctantes fugere nequeunt, quin se Divinæ providentiæ, & superiorum obedientiæ subjiciant, & humeros sarcinæ submittant, necessitas illis virtutis fit calcar, & stinulus, dum hoc sibi incumbere sentiunt, ut omnibus modis studeant suscepto muneri se præstare pares; ideoque non libet otia-ri, aut deliciari, sed curant sic præesse ut proflent, & de commissso sibi talento quandoque respondere possint. Qui-cumque ad Episcopatus trahuntur inviti, merentur esse quod esse nolunt, eoque digniores sunt, qui se clamant indignos. Promovendi itaque non qui vim faciunt ut Episcopi fiant, sed qui vim patiuntur ut Episcopatum acci-plant: non prætio, sed præmissis præcibus ordinetur An-tistes, qui tantum ab ambitu debet esse sdepositus, ut quæ-ratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat. Non volentes, neque currentes assumendi, sed cunctantes, sed renuentes. Hodiernæ verò deploranda Ecclesiæ facies, & hæc deformitas, quæ ex immoderata cupiditate, tamquam malorum omnium pullulat radice; nonne etiam aliquos est cernere, qui ut beneficia, & Episcopatus obtineant, artes vetitas adhibent, sæpenumero quidem illicitas, sem-per autem parum honestas, semper ab Ecclesia improba-tas, & damnatas, quæ quantum valuit, totam cautelam adhibuit, ut non volentes, non currentes, non ambien-tes, sed cunctantes promoveret, ut eos respueret, qui cu-piditati suæ omnia indulgent, & quæque media coacer-vant, ut obtineant dignitates, à quibus vel ipsa sola ambitio deberet semper excludere. Ubi de promotione agitur, spiritus Summi Pontificis requiescere debet super eos, qui non sunt attritæ frontis, sed verecundi, sed ti-morati, qui præter Dominum timeant nihil, nihil sperent nisi à Deo.

*Episcopus sit verecundus.*

Verecundia ad obtainendas dignitates, sicut auget me-ritum

ritum, ita conspicuum est in Præfule ornamentum; Verecundus enim nihil usurpat, nil sibi vindicat, nulli machinatur insidias, nec à sui dignitate status inflectit, dignus itaque qui præferatur. Optimus planè, imò necessarius in Ecclesiarum sponsis ornatus est verecundia, quæ quasi aurora quædam, omnium aëtuum colorat principia, & virtutes reliquas, quibus Ecclesiastici Sponsi ornari debent, virgineo venustat pudore.

*Sit timoratus.*

Veræ sapientiæ initium est timor Domini, cum autem vera, & consumata sapientia non aliud sit, quam declinare à malo, & facere bonum, neque hoc perfici valeat sine timore Domini, utique timor Domini prælucere debet in Præfule, qui cæteris esse debet incitamentum, ut declinent à malo, & faciant bonum. Qui timet Deum sollicitus est scrutator viarum suarum, & in sui scrutinio discit nil æquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si semper coram Deo inveniatur nil altum sapere, sed timere; scriptum est enim *Beatus homo, qui semper est pavidus.* Quantum verò expedit Præfules abundare in timore Divino, tantum declinare opus est à timore mundano; propterea præcipue Episcopis congruit illud Evangelicum monitum: *Nolite timere eos qui occidunt corpus;* debent enim à se excludere spiritum servitutis in timore, si munus suum adimplere satagunt cum fervore; præter Deum timeant nihil.

*Nihil speret nisi à Deo.*

Bonum est sperare in Domino, melius quam sperare in Principibus; utinam veritatem hanc perciperent plures Ecclesiæ proceres, quorum tota spei ratio est fæculi Magnatorum protectio, in quâ, qui speraverunt, confusi sunt; non sic sperantes in Domino, non sic; quis enim spe-

speravit in eo , & confusus est . In Deo tantum sperare debent , qui populis præsunt , ut discat sperare in eo omnis congregatio populi , effundere coram illo cor suum , & intelligere , quia Deus solus est adjutor noster in aeternum . Sed si populi deprehendant Præsulem suum soli spei mundanae innixum , præbere famulatum hominibus , & plus confidere in homine , quam in Deo , nonne juxta exemplum pastoris , prævaricante & grege , una simul pastor , & populus induent maledictionem pro benedictione . Continuo experimento comprobatum est , quam verum sit Davidicum illud Oraculum : *Beatus vir cuius est nomen Domini spes ejus , & non respexit in vanitates , & insanias falsas .*

*Adventantium non manus attendat , sed necessitates .*

Tantum abest quod Episcopus debeat diligere munera , respicere ad retributiones , ut potius munificus apparere debeat , prospiciens necessitatibus populi sui . Non potest mens Præsulis in suis judiciis esse libera , ubi ejus manus non est à munere vacua . Quomodo in excelso dignitatis Pontificiae innocens considere poterit Præsul , ad manus adventantium respiciens , cum scriptum sit ; *qui excutit manus suas ab omni munere in excelsis habitabit .* Munerum cupiditas mentem excæcat , justitiam enervat .

*Sermo Episcopi sit ædificatio , vita justitia , amabilem se præbeat , non verbo tantum , sed opere , sobrius in zelo , in loquendo modestus .*

Magnam vim ad imbuendos virtute subditos habent superiorum exempla , quia superiorum mores , ut plurimum subditi suos faciunt , & in eos sensim se labi sinunt : amabiles itaque se præbeant Præsules cum subditis , non verbo tantum , sed opere : eorum sermo sit ædificatio , vita justitia ; agere studeant cum subditis in spiritu lenitatis

tatis, quia sic melius ad bona opera provocantur, quam si irritationibus, & increpationibus exasperentur. Generosus est animus hominis, libentius se ducere sinit, quam trahi, nam duci hominum est, trahi jumentorum. Errant qui credunt imperium gravius esse, & stabilius, quod profertur voce tumida, & incussione timoris, quam quod paterno amore blandiente, modestis verbis promulgatur. Verum quidem est, quod juxta personarum, cum quibus agitur, diversam conditionem, & indolem, variasque temporum, & rerum occurrentium circumstantias, debet Praelatus diversum induere spiritum; quapropter hic opportunè monentur, ut Regibus Joannem se exhibeant, Aegyptiis Moysen, fornicantibus Phinees, Heliam idololatris, Helisæum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus, negotiantibus Christum,

*Sit in judicio rectus.*

Suam Episcopus prolatus sententiam, æqua lancea pensit partium, quæ sub ejus judicio constitutæ sunt rationes, ab omni propensione cuiuscumque affectus, mentem suam servans immunem; quod si suam non custodiat mentem ab omni affectu vacuam, statim rationes congregare properabit, quibus eam possit tueri partem, ad quam affectus animum facit propensum. Nec desunt judices, qui ut in suo recti judicio appareant, & interim suo obsequantur affectui, ex verbis legum, Canonum, & Doctorum, non genuinum sensum accipere, sed suum illis affigere conantur; hoc quidem ingenii est, sed illud ingenui: nihilominus velut solius ingenii res esset rectum proferre judicium, sic plerique tractant Auctores, interpretantur leges, & Canones, ut non quod illi sentiunt proferant in medium, sed quod illos vellent sentire; nempe ne præjudicatis suis opinionibus, quæ foetus sunt singularis affectus, à quo judex esse debet immunis, Doctores, Leges, & Canones adversarios patientur: ubi extorquentur

rationes , & Doctores ad tuendam sententiam , nonnisi extortum expectari potest judicium .

*In otio non sit otiosus , in hospitio non dissolutus ,  
in convivio non effusus .*

O' quām dura pluribus Ecclesiasticis erunt ista , quæ hic loquitur S. Doctor , admonens ut non sint otiosi , quandoquidem adeò facile est Ecclesiasticis , qui de Altari vivunt , propterea de modo vivendi cogitare opus non habent , in otiosis sermonibus implicari ; multos ex eis advertimus , qui muti simul , & verbosi apparent ; muti in necessariis , verbosi in superfluis , non modò otiosa non proferentes , sed patienter audientes : in otio otiosus est , qui ad otiosa paulatim tractus , libenter ea loqui incipit , quæ audire fortè cooperat invitus . Vaniloquii culpam , quæ ut plurimum Ecclesiasticos in otio otiosos facit , gravissimis verbis reprehendunt plures SS. Patres , quæ utique deberent omnium Ecclesiasticorum mentes percellere , & ab omni vitio evocare . Nihil est quod facilius animū à gravitate removeat , quām inutilium confabulationum frequentia ; hæc est , quæ viros facit in hospitio dissolutos , in convivio effusos . Mox enim ac inutilia verba conferimus , paulatim quædam lānocinia confabulationis alternæ surrepunt , quæ omnem animi rigorem indecenter emolliunt , & serietatis robur in excussum risum , & turpes jocos dissolvunt . Ità debet Prælatus in hospitio , & convivio esse compositus , ut ab illo frugalitatis , modestiæ , continentiæ , & serietatis exempla petere possint hospites , & comensales .

*Episcopus reverendum se exhibeat actu , non fastu .*

Erronea multorum animos occupavit opinio , externum fastum Proceribus Ecclesiasticis competere , ut decorum dignitati consentaneum tueri , & reverentiam va-

leant conciliare. Cæterum veris solidisque virtutibus, quod idem est ac dicere, *actu non fastu*, honorem, & reverentiam acquireti, gravissimis probatur rationibus, imo & exemplis; certum est quod fastus potius officit auctoritati, & tandem in contemptum declinat. Si Prælati primitivæ Ecclesiæ, ad suam tuendam auctoritatem, solius admiricula fastus quæsissent, jamdudum periisset memoria eorum cum sonitu. Hæc est via certissima venerationis acquirendæ inter homines, si virtus emicet, si integritas, si gravitas, si pietas, si actus virtuosus, non fastus. Ministrorum Dei dignitas, non in humanis ornamentis, sed in religiosis virtutibus est reposita, nec juvat diversitatem temporum obtendere, ad promovendum in Proceribus Ecclesiasticis fastum, ubi adeò remissum est studium circa sublimioris vitæ subsidia: doctrina, pietas, frugalitas, mansuetudo, charitas, humilitas, S. Ambrosum, adeò fecerunt omnibus sui avi Magnatibus, universo populo, & ipsimet Imperatori Theodosio Venerabilem. Non absimiles virtutes in D. Carlo Borromæo, & Sancto Francisco Salesio, nostris temporibus renovatae, & fulgentes, eosdem orbi Catholico reverendos fecerunt, & venerabiles. Frustra itaque obtenditur diversitas temporum, ut ad hæc infima, & infirma præsidia fastus recurrent aliqui moderni Præfules, ad suam tuendam auctoritatem.

Cæteras in Prælatis Ecclesiasticis necessarias dotes, prosequitur in hoc capite S. Doctor describere, admonens debere viriliter stare pro afflictis, & judicare in æquitate pro mansuetis terræ; Sicut & se exhibere compositos ad mores, probatos ad sanctimoniam, paratos ad obedientiam &c., de quibus omnibus dotibus, quæ verum constituant Pastorem Ecclesiasticum, sparsim in his Commentariis, jam occurrit habere sermonem. Ad normam itaque characteris Prælatitii, quem hic adeò claris notis S. Bernardus describit, quisquis in Ecclesia, Episcopali fulget dignitate, seipsum discutiat. Vult præ cæteris S. Bernardus, Ecclesiasticos proceres, ut se humiles exhibeant simul, &

reverendos, sed *aetiu non fastu*, an non talem censem, qui & genere, & sacra dignitate illustris, plus tamen prophanis, ac gentilitiis titulis, quam Sacris, & Ecclesiasticis gloriatur, & quodammodo magis de saecularibus, quam de sacris gaudet insigniis. Magnus sanè despectus ordinis Sacri, gravis Ecclesiastice dignitatis injuria, ut nobiles saeculi adsciti in Clerum, tam injusti sint utriusque sui status estimatores, ut nesciant cui plus debeant, quem præferant; satis superque cui plus tribuant, quorundam mores, actiones, habitus, & omnis vita ratio ostendunt. An non denominatio à potiori sumenda est, & hierarchicis potius, quam politicis insigniis prærogativa defenda? nihilominus magis Marchiones, & Comites, quam Præfules appellari sunt qui congaudeant; hinc est quod juxta nomen quod affectant, etiam consonos instruunt mores. Sed hoc magis indignum, quod dignitatis minus dignæ munia, sic dignioris officium obstruant, & quasi absurdeant, ut vix ejus vestigium in nonnullis appareat. Utique si spectator adesset Bernardus moribus nostris, aut potius abusibus, iterum exclamaret. O nova, & exosa perversitas, qui Clero militiam, forum anteponit Ecclesia, & Altaribus aulam, divinis profectò humana, cælestibus terrena præferre convincitur, & longè ab eorum numero Prælatorum esse reperitur, quos & quales esse debere Sacri Canones volunt. Sed Canonibus vim inferre ut liceat quod non licet, jam usus, imò abusus invalluit; nec ingenium deest ambitioni, & cupiditati promovendæ. Multa comminiscitur, & fingit intellectus, ut depravato obsequatur affectui, sed mentitur iniquitas sibi, & numquam efficiet ut liceat quod illicitum est: Ubi humilitas statui Ecclesiastico consona, cum tot titulis ambitionis? ubi reverentia actus, ubi solus emicat fastus? Nonne, licet ex illustri progeniti sanguine, cum Clericali militiæ nomen dederunt, saeculi vanitatibus in abrasione crinum renunciarunt; quare itaque, ratione nobilitatis, & sanguinis, etiam ad aras introducere contendunt cipria-

tos, crispatosque crines, qui aulicis magis convenient? quarè magis in sacerdotali, quām Ecclesiastico habitu incedere affectant, si à sacerduli actibus, & vanitatibus segreges vivere promiserunt? quare sacerduli vanitates reassumere, nituntur? Præsul quò magis est natalibus illustris, eò magis se exhibere debet compositum ad mores, probatum ad sanctimoniam, paratum ad obedientiam Sacris Canonibus, subiectum ad disciplinam, rigidum ad censuram. At ambitione jam sic invaluit in multis, ut qui ex ordine sunt Ecclesiastico, magis reverentiam sibi conciliare studeant à fastu, quām ab actu; & contrà fastum, jam poenè frustra, per renovatos Canones antidoton, & medicina paratur. Ad hoc collimant Ecclesiasticæ leges, ut qui in ordine Ecclesiastico Prælatitiis fulgent dignitatibus, *sint in loquendo modesti, in misericordia non remissi, in cura rei familiaris non anxi, rei alienæ non cupidi, suæ non prodigi, ut non eant post aurum, de patrimonio Crucifixi se, vel suos ditare non festinent*: utique si Ecclesiastici tales se exhiberent, non invalesceret in Ecclesia cupiditas, omnium malorum radix, pestis Ecclesiæ perniciosissima, vorax bestia, ac fera pessima, omnis freni, ac habentæ impatiens. Multi sunt, qui improba cupiditatis affectu, ut de patrimonio Crucifixi, se vel suos ditare valeant, quæ justissimè à sacris Legibus constituta sunt, variis artibus eludere non erubescunt; hi profectò seipso, non Deum decipiunt; infeliciter divitiæ pereunt, quandiu ex patrimonio Crucifixi congregantur: bona Ecclesiastica, in domo sacerdotali plantata, numquam radicem figere, nunquam crescere, & proficere potuerunt; de patrimonio Crucifixi velle suos ditare, & facultates sacras cum sacerdotalibus commiscere, nil aliud est, quām ordinem rerum confundere: Indè quid mirum, si male congregatae facultates ab Ecclesiasticis, statim depereunt. Sic sapientia, & cupiditas hujus mundi à Deo semper confunditur, & mera apud Deum stultitia esse probatur. Intolerabilis est apud Deum inordinatus Ecclesiasticorum adversus cognatos affectus,

quo

quo, tamquam armatura fortitudinis utitur diabolus ad expugnandos etiam fortiores Ecclesiæ proceres, quorum fortitudini invidens Satan, insidias ex latere ponit, dum cognatos pro filiis substituit, eosque ditandos suggerit, in illis extollendam esse, & perpetuandam familiam, & celebrandum apud posteros nomen. Profecto nihil indignius, quam patrimonium Christi in carnales amicos, & propinquos conferre; Hæc est fraus, hic laqueus diaboli, in quem non pauci, alias boni Ecclesiastici impingunt, vicii à cognatorum affectu, ubi in reliquis se pœnè invincibiles servant. Affactus sanguinis gliscit instar ignis latentis; quò magis illi indulgetur, eò fit insatiabilis; ideo opportunè monet in præsenti S. Bernardus, ut circumspecti vivant Ecclesiastici, ne de dote viduæ, vel patrimonio Christi suos ditare festinent, ne studio augendi marsupii alleeti, in curis immergantur sæcularibus, & qui cælestes esse debent, terreni fiant; ne qui animo excelsa mundana debent despicere, ad ea conversi prolabantur: Nonnè planè foret ridiculum, si sæcularis homo regularem domum in spiritualibus regere deposceret; ità planè ridiculum est Ecclesiasticum virum negotiis sæcularibus peragendis incumbere. Ecclesiastici præcipua occupatio esse debet oratio, propterea in suis monitis S. Bernardus Ecclesiasticos hortatur, ut orandi studium gerant, & usum habeant, ut in omnibus orationi plus fidant, quam suæ industriae, vel labori. Sed nunc è converso in solo labore, & industria fidere, non in oratione consuescimus; sacris sæcularia anteponimus; proinde non mirum, si nulla ex æquo tractamus, si pauca ex voto succedunt.

## I N C A P U T Q U I N T U M

### A N I M A D V E R S I O N E S.

**D**Uobus refertum exemplis est præsens Caput, quæ ad hoc collimant, ut per eadem ante oculos Prælatorum

rum exposita, facilius excitentur Ecclesiastici Præfules ad servandas manus suas innoxias à receptione munerum, quorum usus si invalescat, omnem rerum agibilium machinam regere, omnia negotia resolvere necesse est. Potentiora enim sunt munera, omnibus in determinationibus, quām ratio, leges, usus, canones, & cujuscumque præcipientis auctoritas. Munera sèpè causas discutiendas promovent, & absolvunt; munera, clausas fores aperiunt, & ad benignas audientias obtinendas aditum referant. Munera corrumpunt Judices, opprimunt causas pauperum, qui non habent quod offerant, innocuos condemnant, reos absolvunt, dant meritum ad sublimiora obtainenda subselia, itaut non immetitò quis dixerit, munera pœnè omnia agibilia dirigere: optimo regimini quantum sint infensa, non est lingua, quantumvis diserta, quæ exprimere valeat; præceteris facile corrumpunt eos, qui præsident, ne justa iudicent, ne cum expedite corrigant, increpent, puniant, facti tamquam qui *oculos habent, & non vident, aures, & non audiunt*. Votorum, in causis decidendis, etiam arbitrium sibi vindicant munera; hæc efficacius in favorem partis munificæ, quām ratio ipsa perorant. Contra delinquentes non habet os ad loquendum, qui manus habuit ad recipiendum; qui non est innocens manibus, esse nequit mundo corde. Ideò postquam repetitis vicibus, in suis libris, contra receptionem munerum declamaverat Sanctus Doctor, ut judices suaderet abstinentiam à receptione munerum, duo hic ratus proferre exempla, sciens quod efficacius docentur homines exemplo, quām verbo. Primum itaque quod proponit exemplum, illud est Martini Presbyteri Cardinalis, secundum Godefridi Carnotensis Episcopi, & Legati Apostolici in Aquitania, ex quibus constat quām fuerint à receptione munerum alieni. O si talium daretur virorum copia, quid felicius, quid jucundius posset hoc nostro ævo contingere, adeò à familiari, & avidà receptione munerum corrupto. Fælices Principes, si talibus stipati essent Collateralibus, & Consiliariis,

qua-

quales fuerunt Martinus, & Godefridus. Esculenta, & poculenta, quæ parvi sunt prætii munera, admittere sînè scrupulo, jam ferè ubique adeò usus invaluit, ut sînè integratatis præjudicio recipi posse, communis ferat opinio; nihilominus neque sturgionem, neque paropsides ligneas admisit Godefridus, optimè conscius in receptione munerum, facilè cupiditatem humanam à minimis ad majora declinare, proindè omnibus quantumvis minimis muneribus aditum esse occludendum. Ubi à receptione munierum abstineant ministri, sanctificatae sunt Aulæ. De his fatis; ego palpavi, non fodi parietem, Principibus licet fodere, & videre; mihi progredi non est fas. Proverbialis locutio est ista, quâ utitur S. Doctor dicens, *palpavi non fodi parietem*, alludens ad verba. *Ezechielis* 8. quasi dicaret; ego leviter tantum, & obiter seu blandè, & quasi summis digitis rem tetigi, & insinuavi, Praelatorum est ex officio, omnia altius rimari, & perscrutari; nempe qui abusus deformant Ecclesiam, quæ vitia ministros dedecorare fortè valeant, eaque omnia sedulà curâ corriger.

Unum dico quod in facie est. Fælicia tempora, fælices aulæ, in quibus unum tantum abusum reperire esset in facie, sed fortè de hoc uno tantum abusu mentionem fecit S. Bernardus, quem in facie esse perhibet, quia vix est aulam invenire, in quâ hic abusus non abundet: nempè contentio, quâ unus aulicus alteri se anteferre conatur. Sæpè fit contentio inter eos, quis eorum videatur esse major, & ab hac contentione, quanta in aulis irrepunt mala. Præminentia cupiditas illa est, quæ potuit confusione inducere etiam in aula cælesti, à quâ meritò deturbatus fuit Satanæ, cum sectatoribus suis, quia præminere contendebat; qui præminentiam affectat, novissimus fieri expectet. Hæc fuit etiam in Cælis in peccato prima, in conflictu postrema, origo omnium scelerum, omnium ruina virtutum; hæc est quæ in aula Assueri, Aman superbia paravit patibulum, quia Mardochæo præminere satis

ut

ut voluisset non poterat; Nil est à quacumque humilia-  
tione timendum, quantumcumque se homo humiliet; ubi  
ē converso, à quacumque licet modica erekctione pavendum  
est; quemadmodum qui transit per ostium, cuius est su-  
perliminare demissum, quò plus se inclinat securior per-  
transiet, quod si vel transversi digiti spatio, plusquam pa-  
titur januæ mensura se erexerit, quassatam frontem non  
effugiet; Utinam veritas hæc, maximè in aulis, esset rece-  
pta, sicut quotidianis exemplis est comprobata, scilicet  
quemcumque, qui cæteris præminere nifus est, aut serò,  
aut statim corruisse. Ignorantia sui sola est, quæ in ho-  
minibus præminentia desiderium fovet: Sedulò itaque  
sui ipsius scrutinio, unicuique opus est, ad reprimendos  
omnes superbiæ conatus, & elationis desiderium. Non al-  
tum sapere, sed semper timere, docet nos Sapientia:  
*Beatus homo, qui semper est pavidus.* Salit Dei gratia in  
humiles, transilit superbos. Hæc attendant, qui præemi-  
nentiam affectant. Multos est invenire, qui non solum  
in gratia apud Deum, sed etiam apud homines, de die in  
diem proficiunt, quia submissè se gerunt, humiliiter sa-  
piunt, altiora loca non querunt; proindè sive in spiri-  
tualibus, sive in temporalibus, complent sine offendiculo  
curriculum suum, tam apud Deum Cæli, quam apud Re-  
ges terræ; statim ac in lapidem offensionis, nempè desi-  
derium præminentia impingunt, corruunt. Declinat pro-  
speritas, & declinat in ira a servo, in quo Dominus su-  
perbiam invenit; ergo qui stat, maximè in Aulis, si ca-  
dere non vult, se humiliiter gerat: abundant impulsores  
in Aulis, qui ad hoc solum enituntur, ut stantes pro-  
sternant; humilibus innitatur sensibus, qui non vult pa-  
vere ad impulsus. Utique, sicut in præsenti scribit S. Ber-  
nardus, ridiculum esset in Aula Pontificis, quæ esse de-  
beret schola humilitatis, videre quod fiat contentio inter  
Ministros, quis eorum sit major. Mentior si passim in  
Aulis multam causarum copiam, quæ ibi agitantur, non  
excitat præminentia cupiditas. Habeatur congressus, in  
quo

quo majoris ponderis causæ sint promovendæ , primum quod proponitur est præcedentia punctum , & quasi in hoc sita esset tota rei summa , congregandorum sollicitudinem , attentionem , & studium sibi vindicat hæc resolutio , circa quam plus suum acount ingenium , mentem defatigant , intellectum torquent , quæm insudare potuerint validiores Theologi in resolutionibus difficultatum , in quibus agitur de prædestinatione , & de gratia . Ut plurimum difficultius est in præminentia eorum , qui ad congressus convocandi sunt , convenire , quæm causam , quæ congressui locum fecit , resolvere : ex quo sæpè factum est , quòd ratione discrepantia , quis eorum videretur esse major , neglecta discussione causarum , quarum urgebat resolutio , finè successu dissolverentur congressus . Videmus passim abjectos homines , quos ad aliquem , vel mediocrem honorem provexit Ecclesia , plus eorum decepta simulationibus , quæm allecta meritis , statim oblitos quales fuerint , statim supra cæteros affectare , & contendere præminentiam . Videmus , heu nimium ? plerosque in Ecclesia Dei de ignobilibus nobiles , de pauperibus divites factos , subito intumescere , pristinæ obliisci abjectionis , genus quoque suum erubescere , pauperes dignari parentes , & dignos se æstimare dignitate , ad quam ambiendo pervenerunt ; quodque adepti sunt ( si audeo dicere ) muneribus à manu , à lingua , vel ab obsequio , suis attribuere meritis ; & ab ambitione excæatos , ridiculam affectare præminentiam . Videmus etiam ( quod magis dolendum est ) plures , post spretam sæculi pompam , in schola humilitatis , nempè in claustris , superbiam magis addiscere ; non patientes in domo Dei vel minimum contemptum , qui in domo sua , & in sæculo nonnisi contemptibiles esse potuissent ; ibique velle honorari supra cæteros , ubi honor contemnitur ; profectò non modò ridiculum hoc , sed abominationem exhibet stantem in loco sancto . Nihil ità divinam irriſat patientiam , sicut affectare prælationem ; hæc

fecit de Angelo diabolum , & de justo homine impium .  
Superbia nusquam recepit disciplinam .

## C A P U T S E X T U M

### S Y N O P S I S .

Postquam de Ministris Pontificis benè instituendis , & prudenter seligendis sermonem habuit S. Bernardus , ad interiora domus perscrutanda descendit . Domini probitas nullibi melius fulget , & clarius probatur , quām ex ejus domo bene composita ; neque ad aliarum rerum curam aptum esse videtur , quem experientia comprobat regendā sue domui non esse idoneum ; hinc patet quantum expeditat Prælatos , qui Ecclesie Dei diligentiam habere debent , etiam scire domui sue bene præesse . Quia vero ut quis bene domui sue præsit , debet indefessā vigilantiā , etiam super minima , quæ de domo sua sunt , & in ea occurruunt intendere ; Neque consonum videatur Episcopum ad sublimiora dirigenda , & pertractanda eleētum , ad minimorum providentiam descendere , suadet Bernardus Eugenium , & cum eo omnes Episcopos , ut per probum , & fidem economum , quotidianis domus sue emergentibus provideant , quā mediante providentia , Pontifex à minimorum sollicitudine expeditus , totus sublimioribus prospiciendis vivat addictus . Hac arreptā occasione , qualitates in provido economo necessarias exprimit , necnon virtutes omnes , quibus fulgere debent Præfules describit . Monet insuper qualiter à Pontifice eleētus , ut domui sue præsideat , necessaria debeat ab eo auctoritate fulciri , ut possit recte munus suum implere . Nec enim sufficit ministrum esse fidem , atque prudentem , si auctoritatem non habeat disponendi , quæ magis pro bono regimine congruere cognoverit ; seligatur itaque domus præfectus fidelis , & prudens : quod si utroque di-

ditatum charismate difficultè sit invenire ; fideli prudenter satius præferre. Deplorat etiam in hoc capite San-  
ctus Doctor calamitatem Prælatorum illorum , qui ma-  
gis super domum , & substantiam suam , quam super  
Ecclesiam invigilant : potissimum expedit , Pontificem in-  
vigilare super disciplinam domesticorum , itaut aulico-  
rum vitia , si quæ sunt , non ignoret ; temporalia itaque  
domus suæ , æconomi providentia dirigenda remittat , spi-  
ritualia verò per se omnino prospiciat . Ad inducendam  
in domo sua debitam disciplinam , & probatos mores , de-  
bet Prælatus miscere cum gravitate affabilitatem ; stu-  
deat simul , & semel amari , & timeri : sit actu sere-  
nus , vultu severus , verbo serius , suoque domesticos sic  
provideat , ut non indigeant .

## SECTIO PRIMA

Tædet jam Curiæ : exequendum palatio , domi expectant nos .  
Hi non modo circà , sed quodammodo intrà te sunt . Non  
est supervacua consideratio , quæ intendis disponere do-  
mui tuæ : providere his , qui in sinu tuo , & in gremio  
tuo sunt &c.

**D**omus regimini præesse , & infimis non intendere ,  
impossibile est : summis occupatum , qualis esse debet  
Episcopus , & in minimis impendere opus suum , cuius-  
modi est domesticarum rerum habere sollicitudinem , Pon-  
tificiæ dignitati non consonat . Monet nihilominus Apo-  
stolus , quòd qui domui suæ præesse nescit , Ecclesiæ Dei  
diligentiam habere nequit ; quæ ratione itaque duo hæc ,  
sibi invicem opposita , poterit Prælatus perficere ; nempe  
domui suæ bene præesse , & summis tantummodo occu-  
pari ? Methodum utrumqne perficiendi suggerit S. Bernar-  
dus , qui optimè noverat , quam necesse sit Præfulem opor-  
tere hæc facere , idest summis occupari , & priora non  
omittere , nempe domui suæ præesse . Inter ea , quæ ab

Episcopo perfici debent , alia sunt quæ per se , alia per alios absque se , alia per se , & alios , facere debet . Agenda domus suæ , sub eo genere locanda censuit S. Doctor , quæ Præsul per alios absque se debet completere , nempè medià electione providi ministri , cui domus suæ committat custodiam . Secus enim agendo , impossibile est Episcopum per se posse bene præesse domui suæ , & simul intendere domui Domini sui , nempè Ecclesiæ , de quæ scriptum est : *O Israel quam magna est domus Domini , quæ utique totam sibi vindicat Episcopi sollicitudinem ; quandoquidem Episcopus in sua Dioecesi , pro bono regimine , magnis , & permultis esse debet intentus ; quoniam oportet viriliter stare pro afflictis , judicare inter dissidentes , indisciplinatos instruere ad disciplinam , paratos reddere ad obedientiam , errantes oves reducere , quos novit duræ cervicis paternis monitis emollire , malignantes coercere , propinare verbum Dei , mærentes consolari , orfanorum patrem se exhibere , & omnibus omnia fieri .*

### S E C T I O   S E C U N D A

*Vacuum prorsus à sollicitudine rerum minorum , & vi-  
lium , oportet esse animum , tam magnis , & tam multis  
intentum rebus .*

**D**ifficile est , quæ sursum sunt sapere , & his , quæ deorsum sunt animum impendere ; clavus clavum trudit ; non potest cælestia sapere mens , quæ terrenis addicta est vexationibus ; audiant qui terrenis rebus semper intenti , nonnisi terrena sapiunt ; de mundanis seminant , transitoria & metent : errant omnino , qui cælestem sapientiam cum sapientia mundi , divinum illud balsamum huic veneno , charismata spiritus cum illecebribus terræ misceri posse arbitrantur ; nulla conventio veritati , & vanitati ; luci , & tenebris ; spiritui , & carni ; igni , & tepiditati . Vacuum prorsus à sollicitudine re-

rum

rum minorum, & vilium oportet esse ejus animum, qui superna vult intelligere, & debet ex munere, *tam magnis, & tam multis esse rebus intentus*. Munus Ecclesiastici Præfulis est, spiritualem ovium suarum quærere profectum; quomodo spiritualia quæreret, qui vix ea quæ spiritus sunt intelligit; quomodo vacuum prorsus à sollicitudine rerum minorum habebunt animum, qui illis solummodo proficere curant in studiis, quæ ad minorum rerum sollicitudinem habendam, ad inferiora hæc temporalia, & transitoria dirigenda sunt instituta; à studiis verò spiritualibus, quæ in lege Dei docent proficere, ad Cælestium cognitionem, & amorem dirigunt, animo alieni vivunt, & nonnisi fastidiosi, libros de æternis veritatibus pertractantes evolvunt. Nihilominus studia juris civilis adeò nunc temporis studiis præferuntur monasticis, ut nonnisi Curiales aptiores esse videantur arduis in Ecclesia rebus dirigendis, sublimioribusque dignitatibus regendis; undè hoc? nisi fortè dixerimus in aliud mutata nunc esse studia militantis Ecclesiæ, ab illis diversa utique studiis, in quibus olim gaudebat versatos feligere, & venerari suos Dynastas, quos per tot sæcula aptiores credidit ad regendas Episcopales cathedras, cum in Theologicis, & Sacris, plusquam in Civilibus, & Prophanis studiis versatos elegere potuit.

Clerus Regularis, qui semper vixit in particulari ab omni habendi cupiditate alienus, qui suis in elucubrationibus, ut par est, spirituale Ecclesiæ augmentum suprà temporale ejus incrementum semper quæsivit; optimè conscient, quod juxtâ promissionem Dei, temporalia adjiciuntur, ubi spiritualia proficiunt, suos alumnos totos voluit spiritualibus, & Theologicis studiis additos, quippè quæ in solo verbo Dei scripto, aut tradito, in placitis Sanctorum Patrum, in Sacris Conciliorum decretis, in Summorum Pontificum sanctionibus innituntur, & proindè non modò magis consona esse credidit, statum profitenti Ecclesiasticum, sed etiam ma-

gis

gis congrua ad instruendos, tamquam ex selectissimo armamentario suos alumnos, quasi tot milites, pro Ecclesiæ defensione, ubi opus esset, decertantes. Clerus verò Sæcularis, consuevit suos alumnos studiis spiritualibus, & Theologicis transeunter, legalibus verò, & curialibus ex professo totos adjicere. Negari utique non potest, quod in Ecclesiastico viro, hæc sit præposta vita, & studiorum ratio, ut qui ex munere suo toti esse deberent in lege Domini, nunc magis versari studeant in lege Justiniani. Sed si, ut ait S. Bernardus, Ecclesiastici Præsules debent animum habere vacuum ab omni sollicitudine rerum minorum, & vilium, & magnis atque sublimioribus rebus intentum; perspicuum itidem est, à sollicitudine rerum minorum immunem vivere non posse, legalibus studiis addictum, cum studia legum nonnisi ad minora, nempe mundana dirigenda instituta sint, secus verò spiritualia, & theologica, quæ tota in superiorum cognitione immerguntur: veritas hæc prioribus facultatis satis erat perspecta, cum viros Theologos, non Curiales, Spirituales non Legistas quærebat Ecclesia, ut ad fastigia in domo Dei erigeret, quæ Præsulum animum exigunt, quantum ab inferioribus vacuum, tantum superiorum scientiæ repletum.

Huic veritati inhærens S. Carolus Borromæus, dignorum Præsulum speculum, usitatam juris Consultorum scientiam, quæ fuerat ad normam modernorum Clericorum occupatus adolescens, minimè jam in pastorali cura ad se pertinere est arbitratus; quæ ad Curiae directionem pertinebant, dignis electis Vicariis, & Ministris statim comisit. Ipse verò illi scientiæ se totum devovit, quæ Sanctorum Patrum mores, & acta repræsentans, Ecclesiæ componendæ ad mores verè Catholicos, rationem continebat. Hanc scientiam, quæ appellatur scientia Sanctorum, quæ sanctam inducit reformationem morum, & optimum exercitium virtutum; quæ legem Domini immaculatam convertentem animas complectitur; quæ veram sapientiam præstat, & parvulis, & adultis; quæ per justitias Domini

re-

rectas lætificat corda ; quæ per lucidum Domini præceptum illuminat oculos ; hanc inquam scientiam Episcopo convenire est arbitratus ; proinde hanc , non amplius Curialem secutus est , huic se totum devovit , quæ Præsulis animum vacuum facit , ut par est , à sollicitudine rerum minorum , & in majoribus , scilicet in spiritualibus , totum immergit , nempe in profectu spirituali animarum , de quo solum fieri possunt gaudia æterna pastorum . Hæc proindè cura ; hæc sollicitudo ; hæc sunt studia , quæ potissimum decent Ecclesiasticum . Certum est animarum profectum , quem desiderat Ecclesia , copiosiorem ab Episcopo in spiritualibus , & theologicis studiis , non verò in Curialibus instructo , hauriri posse , & expectari . Maximè cum spiritualia , & theologica studia , magis Ecclesiæ semper fuisse proficia , experientia comprobaverit . Ubi in pessimi ire disciplinam Ecclesiasticam , invalescere mores corruptos , insurgere , hæreses Ecclesia animadvertisit ; ad restaurandam disciplinam Ecclesiasticam , ad corrigendos depravatos mores , ad eliminandos hæreticos (quod munus potissimum est Præsulis) Ecclesia numquam quæsivit Curiales , & Legistas , sed Spirituales , & Theologos . Non ignoro necessarium quoque esse , pro bono Ecclesiæ regimine , quodd qui præsunt , sciant Curiae morem gerere : passim occurunt , subreptiones ; sæpè deducuntur ad Ecclesiasticum Forum cavillationes , & lites , suspensiones , irregularitates passim contingunt , & non raro producuntur exturbatae jurisdictionis argumenta , quæ Theologia non solvit , sed Curia resolvit ; quæ ratione autem in his emergentibus judicium faciet , & justitiam Præsul , si nesciat Curiae morem gerere . Difficultatem solvit verborum , quæ in hoc capite sexto libri quarti de Consideratione profert S. Doctor , discussio . Ait itaque Eugenium instruens : *Procurandus quem implices , qui pro te molat ; pro te dico non tecum . Quædam per te met facies ; quædam per te , & per alios simul ; quædam per alios , & absque te ; quis sapiens , & intelliget hæc . Ego quæ omnino spiritualia sunt , & potiorem muneris pastoralis*

ralis partem sibi vindicant, sub genere eorum locanda censuerim, quæ Episcopus *per se* agere debet; quæ curialia, sub genere eorum, quæ facere *debet per se*, & *per alios simul*, nempè per idoneum Vicarium, & expertos Ministros; agenda verò domus, & mensæ Episcopalis curram, sub eo genere quod novissimum posui, locari debere non ambigo. Sit ergo Episcopus indispensabiliter asceticis, & theologicis in facultatibus, quò magis fieri potest eruditus: tales olim desiderabat, & felicebat Ecclesia, cum adeò in pastorum sanctitate fulgebat, & de spirituali ovium suarum profectu, lœtitiae sugebat argumentum. Quòd si ad Ecclesiarum regimen, ut nunc sentire quidam videntur, necessaria esset Codicis, & Pandectarum cognitio, nonne deploranda esset Ecclesiæ calamitas, quæ per tot sæcula suos venerata est Præfules, spirituales quidem, & Theologos; nullatenus verò Legistas, & Curiales; voluit Christus suos discipulos omnibus spiritualibus charismatibus abundanter quidem imbutos, sed sine scientiâ juris, ad implendum Apostolicum munus, censuit esse posse perfectos.

### S E C T I O T E R T I A

*Oportet liberum esse: quem nulla sibi vindicet violenta occupatio.*

**A**B hujus sæculi occupationibus necesse est ut se subtrahat, qui ad supernorum considerationem vult liberam mentem suam dirigere: haudquaquam potest sua libertate potiri, qui inter violentas hujus mundi vexationes involvitur: violentæ occupationes animum obruunt, ne liber valeat ad superiora meditanda concendere; omnis violenta occupatio, prædatio est cum tumultu; excitat enim passiones in animo, quibus irretitur, ne liber valeat Deo vacare, & quæ muneris sui sunt adimplere, qui vivere non studet, quantum cum munere suo compatitur,

re-

remotus à mundo , semper magis elongatur à Deo , neque supernis , & magnis potest esse rebus intentus ; qui à sollicitudine rerum minorum depuratum non servat animum suum .

### S E C T I O Q U A R T A

Oportet *ingenuum* : quem nulla deorsum trahat *indigna affectio* . Oportet *rectum* : quem nulla seorsum avertat *sinistra intentio* . Oportet *cautum* : quem nulla subeat *furtiva suspicio* . Oportet *vigilem* : quem nulla à se se abducat *peregrina* , & *curiosa cogitatio* . Oportet *firmum* : quem nulla concutiat *repentina turbatio* . Oportet *invictum* : quem nulla fatiget vel continua tribulatio . Oportet *amplum* : quem nulla coarctet rei temporalis amissio .

**Q**uibus deceat Præfulis animum amari charismatibus , claris notis hic exprimit S. Bernardus ; Oportet itaque ita esse *ingenuum* , ut nulla cum trahat indigna affectio . Inter gravia hominum mala , esse sine affectione , recenset Apostolus ; sed est affectio quam caro gignit , & ab hac opus est Præfulem alienum se custodire , cum hac enim non convenit ingenuitas ; alia est affectio , quam ratio regit : & hæc verè facit *ingenuum* ; prima legi dæmonis , hæc legi Dei est consentiens ; illa contentiosa , hæc pacifica ; prima , his qui de mundo sunt , dulcis vindetur , sed turpis ; secunda gustare incipientibus fortè minus suavis , sed nobilis . Videant nunc quo jure de nobilitate glorientur , qui nihil minus satagunt , quam rationi conformes induere mores , concipere sensus , quorum animum totum sibi vindicant affectiones à munere Ecclesiastico dissonæ . Vir Ecclesiasticus omnem indignam affectionem à se debet excludere , tantum abest quod his possit cor suum apponere : *Quisquis ab his affectionibus vivit attractus , & illectus , ingenuus non est ; an non ingenuus , cuius animum totum sibi vindicant oblectamenta* .

mundi. Solum in animo , quem *nulla deorsum trahit indig-  
gna affectio*, fulget vera ingenuitas , quam , inter charismata  
 digna quocumque Ecclesiastico , S. Bernardus enumerat ;  
 purgatus affectus , semper est rectus , & nulla eum seor-  
 sum avertit sinistra intentio ; cautus , & nulla surripit fur-  
 tiva suspicio ; vigilans , & nulla abducit curiosa cogita-  
 tio . Discamus hinc enixo studio quantum eniti debeam-  
 mus , ut nostrum purgemus affectum , quandoquidem pur-  
 gatus affectus tot honorum est ferax , tot mala propulsat ,  
 inter quæ non levis ponderis est , quod animum à curiosa  
 cogitatione non sinit abducere : multos seducit curiositas .  
 Caveamus ne supra nos curiosius alta rimari apponamus  
 cor nostrum ; stenus in nobis , ne cadamus à nobis . Qui-  
 cunque curiosà mente ambulare est ausus in magnis , &  
 in mirabilibus super se , statim cecidit à se ; semper per-  
 niciosa fuit curiosa otiositas . Oculos non licet levare in  
 montes , nisi ut imploremus auxilium ab his , qui elevati  
 sunt super montes , ut nentè nobis præsideant , non ut  
 curiosè scrutemur quomodo consideant , vel ut eorum al-  
 titudinem æmulemur : in hoc scopulum passim impingunt  
 subditi , dum Superiorum suorum facta curiosius investi-  
 gantes , audent ponere in cælum os suum , cum humiles  
 vivere debeant in terra , subditi potestatibus , ut obedient ,  
 ut venerentur ; non ut sublimiorum Ecclesiæ Præsulum  
 actiones , & gesta curiosè scrutentur ; non , ut de illis pro-  
 libitu sentiant , & loquantur ; non ut sententiam profes-  
 rant super eos , à quibus debent expectare judicium . Quid  
 curiosius spectare juvat altitudines , ad quas ut ascenda-  
 mus , nostræ non sufficiunt vires , ad quas ut perveniamus  
 insufficientia nostræ pondus nos prohibet . Stet unus-  
 quisque in ordine suo , nec ascendere contendat , usque-  
 dum dictum sibi à Domino audiat , *amice ascende superius* . Aliud autem est vocari à Domino , Domino sic di-  
 sponente ; aliud est Dominum cogere per importunos im-  
 pulsus ut vocet . Multi in Ecclesia Dei ad sublimiores vo-  
 cantur dignitates , non autem à Domino , sed à suis im-  
 portu-

portunitatibus, quia omnem movent lapidem, ut Dominum eos vocare compellant; qui hujusmodi sunt, non intrant per ostium, sed fures sunt, & latrones; per media enim illicita eas sibi vindicant dignitates, à quibus eos excludit vel ipsa eorum importunitas. *Quisquis pro alio, vel fortè pro se importunius rogat, Domino sit semper suspectus.* Quidquid rogantium extorquet importunitas, numquam sponte datum censendum est, numquam merito interveniente acquisitum, sed extortum, sed subreptum; non præce agendum est in dignitatibus conferendis, sed soli merito promovendorum deferendum. Nulla utique reperiatur inter homines æmulatio, quæ adeò in hierarchia, sive Sæculari, sive Ecclesiastica est perniciosa, si unusquisque sua sorte esset contentus. Perniciosæ æmulationis parens semper curiositas fuit: *Caveant igitur Ecclesiastici, ne ulla eos abducat curiosa cogitatio, aut ulla eos concutiat repentina turbatio, aut coarctet rei temporalis amissio.* Hic cecidisse sæpè miserabiliter vidimus etiam Ecclesiasticos viros, qui cum solis debeant inhiare cælestibus, ad amissionem temporalium animo concidunt, magisque desolantur in repentina caducarum rerum amissione, quam in peccatorum, quantumvis gravium, commissione. Morte corripitur consanguineus, quem Ecclesiasticus de bonis pauperum factus dives, suum designaverat hæredem, nonnisi suspiria resonant, & singultus; statim eum concutit repentina turbatio, fatigat tribulatio, coarctat temporalis amissio; pereunt passim sacramentis destituti peccatores, non est qui recognitet: *patientius ferimus Christi jacturam, quam nostram.*

## S E C T I O Q U I N T A

*His te non dubites, & bonis privandum, & feriendum, malis, si animum dividens, & Dei rebus, & tuis pariter reculis volueris impetriri.*

**I**Mpossibile est Deo pariter servire, & mundo: *bonis privatur, & malis feritur* quisquis Deo simul vult famulari, & sæculo: divisus animus, Dei rebus, & rebus, necessariò desolationi succumbet: aut Dei, aut mundi esse volumus, unum ex duobus feligere necesse est; aut Dei, & bonis repleri cælestibus; aut mundi, & malis feriri æternis.

### SECTIO SEXTA

*Procurandus quem implices, qui pro te molat, pro te dico, non tecum. Quædam per te met facies: quædam per te, & alios simul: quædam per alios, & absque te. Quis sapiens, & intelliget hæc? Non est quod inter ista dormitet consideratio tua. Ego verò agenda domus tuæ, sub eo genere, quod novissimum posui, locanda censuerim. Per alium, ut dixi, ista facies.*

**V**Ide ad rem, quæ dicta sunt sectione xi.

### SECTIO SEPTIMA

*At is si fidelis non fuerit, fraudabit; si non fuerit prudens, fraudabitur: quærendus proinde fidelis, & prudens, quem constituas supra familiam tuam.*

**F**Idelem simul, & prudentem, hic advertit Bernardus, esse debere *Œconomum*, quem constituere debet Episcopus super familiam suam: fidelem ne deprehendatur in fraude, prudentem fraudari ne valeat; prudentem, inquam, sed non prudentia carnis, quæ ipsa alitur in fraude; invicem enim fraudari apud sæculum, sagacitas, & prudentia nuncupatur. Sit itaque prudens prudentia spiritus, illà scilicet, quæ à Dei timore indivisibilis est. Ubi timor Domini colitur, ibi fidelitas profitetur.

## S E C T I O O C T A V A

*Adhuc inutilis est, si tertium deest. Quæris quid hoc? Autoritas. Quid enim prodest ei velle, & scire quæque disponere, prout necesse est, si quod scit, & vult, non potest. Danda ergo facultas agendi pro libitu &c.*

**C**um fidelem, & prudentem ministrum Dominus domui suæ præficiendum invenerit, adhuc domui bene præesse non poterit, nisi & sufficienti auctoritate fulcitum præficiat, ut illa omnia, quæ pro ratione disponenda esse cognoverit, etiam possit executioni mandare. Defectu auctoritatis, cum scilicet Dominus, à Ministro prudenter, & fideliter statuta, destituit, debito destituta regimine, in pessum ire opulentiora patrimonia, sæpè comprobavit experientia. Ubi itaque agitur de Ministro palatii, sive de *Economio*, cum non sit congruum, ad sublimiora in domo Dei pertractanda selectum Præsulem, ad inferiora, quæ domus suæ providentiam concernunt se, inclinare, & in his tempus terere, quod urgentioribus Dioecesis suæ negotiis absolvendis melius potest impendere; necessè est domus suæ *Economum* omnimodà auctoritate providere fulcitum, tunc maximè cum fidelem, & prudentem Ministrum invenerit; quæ à Ministro statuta fuerint, non modo cavere debet ne destituat, sed sua debet auctoritate roborare, ut Minister possit in suo munere, & timori esse omnibus domesticis, & utilitati; itaut nullum patiatur contradicentem, neminem, qui dicat cur fecisti sic: potestatem proindè habeat in domus agibilibus excludere, & admittere quos voluerit, mutare subordinatos Ministros, transferre ministeria ad quos, & quomodo benè judicaverit. Minister autem fidelis, & prudens illæ veræ censendus, qui in suo ministerio ita præesse studet omnibus, ut prosit, & singulis. Quia verò Princeps præter Ministrum Palatii, debet etiam necessariò selligere Ministrum regiminis, cum per se solum non valeat,

leat, omnibus sui Principatus indigentiis, necessariam exhibere providentiam, de utroque Ministro quoad auctoritatem dispar est ratio: ille quidem debet absoluta auctoritate fulciri, ut dictum est, iste verò non sic; non enim debet omnimoda auctoritate pollere, in his quæ ad subditorum regimen spectant. Ratio est, quia populorum régimen primariò, & immediatè Principibus à Deo est demandatum; & ideo Principes non debent Ministro absolutam, & plenariam auctoritatem conferre, ne ipsis interim à sollicitudine regiminis quasi absoluti, & à gubernii pondere exonerati, liberius valeant solis oblectionibus, aut privatis rebus se totos devovere. Rationem regiminis, quæ subditorum directionem concernit, Deus à Principibus primariò exigit, cum justicias indicabit, non verò à Ministris. Quinimò duplii solertia, & super regimen, & super Ministrum, quem regimini præfecerunt, tenentur Principes evigilare; tantum abest, quod in solà Ministri sollicitudine debeant quiescere. Christum, qui in opus ministerii Apostolici, pro Ecclesiarum regimine etiam Joannem selegerat, non legitur quievisse supra pectus Joannis, quinimò Joannes supra pectus Domini recubuit. Neque ex electione quantumvis probri, quantumvis fidelis, & prudentis Ministri facta, credere debent Principes coram Deo se constituisse sufficienter innocuos, in his, quæ ad regimen pertinent; quidquid enim sit de probati electione Ministri, per Principem facta, ipse etiam pro munere suo indispensabili, tenetur ad vigilandum super subditos suos, si absque conscientiæ suæ gravamine, satagit in extrema discussione coram Deo apparere, tamquam qui imposito muneri pro viribus suis satisfecerit. Princeps qui totam regiminis sarcinam in alienis humeris querit deponere, aut se imbecillem ad regimen probat, aut Regiæ Majestati, & potestati se facit injurium. Qui honore, & commodis quæ exhibit regnandi conditio vult perfrui, necesse est etiam sentire & onus. Mutua est quædam obligatio, subditis tributa Principi solvere, Principi ad subditorum bonum promoven-

movendum invigilare. Benè principare arduum utique opus: facile autem esset Principis munus adimplere, si sufficeret Principi, pro conscientiæ suæ indemnitate, probrum Ministrum feligere, & interim sub aliorum vigilantia quiescere, & in solis oblectationibus aut privatis in studiis se totum immergere. Utique quia Princeps non potest per se omnibus, quæ ad bonum regimen spectant providere, tenetur, & probum Ministrum eligere; nihilominus unà cum selecti Ministri sollicitudine, tenetur & curam suam exhibere; imò in his, quæ potest per se providere, neque debet Ministri operam impendere: Gloria Principis est per se, non per Ministros, opportunam in emergentibus exhibere providentiam.

## S E C T I O N O N A

*Clandestinas, & sussurratas delationes non recipias adversus eum: Magis detractio nescieris. Et hanc velim generalem tibi constitutas regulam: ut omnem qui palam veretur dicere, quod in aure locutus est, suspectum habebas. Quod si te judicante dicendum coram, ille renuerit, delatorem judices, non accusatorem.*

**S**Ubtile invidæ rapacitatis genus, semper abundavit in Aulis, clandestina scilicet, & sussurrata delatio, quæ magis detractio censenda est. Ab alienarum rerum subreptione abhorrente, poenè inditus à natura est sensus, in his maximè, qui nobili sunt sanguine progeniti, tamquam vitium nimis discrepans ab ingenuitate natalium: alienas itaque substantias surripere probrò ducunt nobiles: utinam, & vererentur alienam famam laceſſere; & quemadmodum concupiscere erubescunt alienam possessionem, sic & vererentur lacerare opinionem, per *clandestinas, & sussurratas delationes, que ut plurimum magis censenda sunt detractio nes*. Vix ullum est vitium, quod magis acuat ingenium, ut se se diffundat, quam detractio; hæc siquidem,

dem, non modo sermone, sed etiam silentio novit se propagare; ita ut detractor, alterius bonam opinionem, quam apud Principem non audet aliquando verbo corrodere, studeat ipso silentio surripere, cum scilicet, ipsi satis cognitam proximi sui virtutem, & meritum, quod non nisi invido oculo confuevit respicere, debito defraudat testimonio, veramque alterius gloriam, et si mendacio vertitur corrumpere, silentio tamen studet suppressere. Quanti ingenuæ probitatis viri inveniuntur, quorum meritum, quandocumque Principi innotesceret, ad majores in Aulis dignitates eos extolleret; interim abjecti in domo sua vivunt, quia de eorum probitate non est qui debitum proferat testimonium; quapropter eorum virtus, et si mendacio apud Principem non sit corrupta, invido est silentio suppressa. Detractio est non tam inopportunum silentium, quam clandestina, & sussurrata delatio. Opportune itaque, ad avertendum detractionis vitium, quod in omnibus ferè Aulis invalescit, Eugenium Bernardus monet, ut *clandestinas, & sussurratas delationes, non recipiat, sed magis detractiones eas censeat*: Caveant Principes ab his, quorum os maledictione, & amaritudine plenum cognoverint, veloces utique pedes eorum ad effundendum sanguinem. Proindè *hanc velim generalem omnes sibi constituant regulam, ut cum qui palam veretur dicere, quod in aure locutus est, suspectum habeant, delatorem, judicent, non accusatorem*. Si regula hæc vigeret in Aulis, plures, ut sèpè contingit, non opprimerentur innocui, quos post multa discrimina, frequenter compertum est, hac sola fuisse culpa gravatos, quia scilicet Princeps nimis facilis fuit ad recipiendas contra eos productas clandestinas, & sussurratas delationes, quas magis censere debebat detractiones. Loqui in aure, & palam vereri dicere quod secretò profertur, semper detractorum mos fuit. Timeant ipsimet Principes à clandestinis delatoribus, magisque censeant detractores. Pessima vulpes in Aulis tam adulator blandus, quam detractor occultus; ubi se exhibeat

beat opportunitas , nec ipsius Principis famæ parcunt ;  
et quæ impossibile est adulatorem non simulare , ac non  
maledicere delatorem occultum .

## S E C T I O D E C I M A

*Itaque unus omnibus facienda injungat , & uni omnes re-  
spondeant . Tu illi habeas fidem ; vacans tibi , & Eccle-  
siae Dei . Si quo minus aut fidelis inveniatur , aut pru-  
dens ; fidi potius committendum . Sanè è duobus tutius  
hoc . Quamquam si idoneus non reperitur ; & si minus  
fidelem , sustinere potius consulo , quam te huic immer-  
gere labyrinto . Memento Salvatorem , Judam Econo-  
mum habuisse . Quid Episcopo turpius , quam incumbere  
supellectili , & substantiæ suæ , scrutari omnia , scisci-  
tari de singulis &c.*

**U**T Episcopus à curà nimis curiosa , & scrupulosa  
rerum caducarum , qualia sunt substantia domus suæ ,  
nempè redditæ , creditæque pecuniæ , annonæ cæterorum  
que fructuum proventus , pretium , & consumptio se sub-  
trahat , fidelem debet , juxta Bernardi consilium , Ministrum  
eligere , cui hæc & similia domus suæ agibilia committat ,  
sicque electo fidem habere , ut sibi tantummodo vacet , &  
Ecclesiæ suæ fidei commissæ ; Turpe enim nimis Episcopo  
incumbere supellectili , & substantiæ domus suæ , qui ut  
dignioribus rebus sollicitudinem suam impendat à Deo est  
electus . Suadet Bernardus Episcopum habere fidem Econo-  
mo suo , etiam si minus fidelem reperire contingat , exem-  
pli Salvatoris , qui & Judam minus fidelem sustinuit Econo-  
mum , potius quam se immergere in scrutinio scrupu-  
loso nimis caducarum rerum , & substantiarum suarum ;  
non enim decet Episcopum de pretio escarum , cum Mi-  
nistris quotidiè discutere , & raras cum Parochis celebra-  
re collationes de profectu ovium , de frequentia Sacra-  
mentorum , de concordia animorum . Cura rerum tempo-

ralium sive vulnere mentis vix tractari potest; tangere picem, & non coinquinari ab ea difficile est; haudquaquam possumus rei temporalis sollicitate nimis querere augmentum, & animae non pati detrimentum. Quapropter opportunum omnibus, sed praecipue Episcopis, Bernardi consilium: *Omnimodis consulo studeas averttere a te concursum horum*: omnimodis consulo rescindere nimium erga carnem, & sanguinem affectum; terrenarum acquisitionis refecare desiderium; quae pastorale munus non concernunt; non perscrutari curiosius quid agatur in Aulis, quid de pace, & bello circumferatur in scriptis, quem exitum habent causae in foro, quos nuptiarum tractatus promoveant saeculares in domo. Transitoria ista, quae cum sedula occupatione muneris Episcopalis stare nullatenus possunt; studeat Episcopus ut haec a se transeant, non per se. Si potest torrens in agros excurrere sine laetione satorum, & Episcopus ista sive vulnere mentis, tractare posse confidat.

### SECTIO UNDECIMA

*Multa nescias; plurima diffimiles, nonnulla  
obliviscaris.*

**O**ptimi regiminis methodum perstringit prefatum monitum: *Multa nescias, plurima diffimiles, nonnulla  
obliviscaris.* *Multa nesciat* quisquis est in regimine constitutus, illa maximè, quæ parvi momenti esse perhibentur, quæ sive sciat, sive nesciat superior, parum aut nihil regimini possunt officere. Aquilarum non est capere muscas. Quod si omnia etiam minutissima, quæ continentur scire voluerit, in horum cognitione acquirenda, teret inutiliter tempus, quod multò utilius insumere poterit in majoris momenti rerum discussione. *Multa nesciat*, illa scilicet, quibus opportunum remedium impendere vetat personæ, temporis, aut circumstantiarum ratio, horum

rum enim cognitio Superioris animum exagitat , potius quām excitet ad sedulam vigilantiam ; & sāpē , eō quod non valeat minimis obviare , itā animo concidit , ut se desidiosum exhibeat in magnis , non modico boni regimini detimento . *Plurima etiam necesse est dissimulet* , quisquis aliorum regimen assumit ; qui nescit dissimulare nescit regnare . Optima regiminis regula , ubi non potes remedium , dissimulationem adhibere . Omnes subditorum excessus tenetur ex munere , qui praeſt , quandocunque innotuerint pro viribus corrigere ; secus aut sufficienes vires non suppetere Superiori ad corrigendum , subditi arbitrabuntur , & imbecillitatem suam , non ſinē notabili ſuā auctoritatis praejudicio , manifestat ; aut Superiorē velle impunes pati excessus , delinquentes censebunt ; propterea ad majora perpetranda delicta aditum reſerabit : ad tollenda hāc incongrua , ſatiuſ eſt pro bono regimine *plurima dissimulare* , illa maximē , quaē levioris momenti quotidie ſe offerunt : nihil eſt in hoc mundo tam emendatum , in quo plura adhuc reperire non ſit corrigibilia ; velle omnia etiam minutiora corrigere , ipsam corrigendi auctoritatē frequentius adhibitam facit contemptibilem ; itaut ubi Superior notabiliores defectus corrigere postmodum aggreditur , vix deinde audiatur . Ex continuo enim corrigendi uſu , nimis frequenter adhibito , ipſa correctio , quaſi in ſpretum degenerat apud delinquentes , tantum abeft quod coerceat ; ſatiuſ itaque pro bono regimine *plura dissimulare* , ut in majoribus excessibus corrigeat Superiorē , correctio ipſa majoris facta ponderis , debitum in delinquentibus metum incutiat , & optatam emendationem excutiat . Si ob leviores culpas pueri ſemper conſtitui deberent ſub ferula , nihil plus ipſis timendum in gravioribus , undē non minus ad leves , quām ad graves excessus declinarent frequenter : leviora proindē identidem dissimulantur , ut ſi in graviora ruant , ad corrigen- tis vocem ſenſibiliores fiant . Scitē itaque diectum multæ neficias , plurima dissimiles , nonnulla obliviscariſ , illa-

nempè, quæ ad mentem revocata, Superioris quietem perturbant, & remedium sustinere non possunt.

## SECTIO DUODECIMA

*Sunt tamen quæ ignorare te nolim, mores quorumque,  
& studia. Non oportet ut vitia domus tuæ ultimus scias:  
quod quam plurimis novimus contigisse; quapropter, ut  
dixi, alius alia dispenset; de disciplina tu provide:  
illud nemini credas.*

**I**N his quæ ad Ecclesiasticam disciplinam spectant, quæ cultos concinunt mores, vult Bernardus Episcopos omnino per se, non per alios se exhibere sollicitos, ut ad Canonum observantiam invigilent, & quæ contra hanc committuntur nullatenus ignorent: quod si ob suam incuriam ignoraverint, ipsis congruit quod scriptum est. *Ignorans ignorabitur*: nemini credere debet Episcopus hanc sedulitatem; per se debet exquirere an in sua Diœcesi, & in domo sua, juxtâ sacros Canones, omnia ordinatè se habeant, an mandata Dei custodianter: *Quomodo dilexi legem tuam Domine tota die meditatio mea est*. Videant plures Episcopi, an de custodia legis Divinæ, per suam Dioœcensem inculcanda, meditentur die ac nocte, qui nihil minus cogitant die ac nocte, quam de exequendis mandatis Altissimi, tantum abest quod meditentur de legis Divinæ injuncta observantia. Videant an pastorali muneri satisfaciant, qui sic desidiosè vivunt, ut non modo subditos, sed etiam ignorent seipso; satis superque adimplevisse quod suum est arbitrantes, eò quod constituerint super gregem suum speculatores suos Vicarios. Fallitur Episcopus si vigilante Vicario, se posse dormire securum arbitratur: *De disciplina Tu provide*, ait Bernardus, non verò scribit, constitue super disciplinam Vicarium. *Tu provide*, & ut benè provideas nequaquam ignorare debes mores quoicumque, & studia; nequaquam ultimus scire vitia animarum, quæ tuam

Quam sollicitudinem exigunt. *Tu provide*, & per te ipsum argue, increpa cum sanam doctrinam Dioecesanos tuos non sustinere compereris. *Tu doce* cum videris coacervare sibi Magistros prurientes auribus, ut à veritate auditum avertant. A' te potissimum, idest ab Episcopo, non à Vicario exiget Christus rationem ministerii tui; proinde quantum possibile est, nemini debet Episcopus credere quod per se ex munere tenetur perficere. Mores quorumque, & studia non debet Episcopus ignorare. Sæpè nimia Domini erga aliquem ex subditis propensio, facit ut oculos habeat, & non videat, aures & non audiat; & è converso, quædam in alios aversio, curiosam & scrupulosam nimis exhibet attentionem in eorum moribus discutiendis: in hac causa, neque rigor nimius, nec zelus indiscretus debet Superiorem impellere, sicut nec partialis affectus cohibere; quorumque mores, & studia scire tenetur; quorumque idest nemine excepto, idest absque partialitate, absque scrupulo, absque ninio rigore scrutari debet vias, & studia, mores, & affectus ovium suarum.

## S E C T I O D E C I M A T E R T I A

*Si insolentior coram te, vel sermo sonuerit, vel habitus apparuerit: manus tua super hujusmodi: tu ulciscere, injuriam tuam: Impunitas ausum parit, ausus excessum.*

**O**Mne crimen quod cognoscitur fuisse præsumptum, necesse est etiam, pro bono regimine, ut omnibus innotescat fuisse & ultum; semper enim peperit impunitas ausum, & ausus excessum; impunita delicta multa parturiunt punienda; ubi non steterit Phinees, ut opportuno remedio placare studeat intumescentes abusus, non cef-sabit quassatio. *Quò verò excelsior est superioris dignitas, eò damnabilior culpa, quam non cohibet venerandæ auctoritatis præsentia; propterea omnis excessus coram Præsule,*

sule, cuius sola præsentia deberet sufficere ad incutendum in adstantibus timorem, eò certè est petulantior, quò Præses venerabilior. Ne ergò impunitas ausum pariat, ausus excessum, ulciscatur Superior injuriam suam, imò magis injuriam Dei, quam cohibere non valuit Superioris præsentia; ita tamen ulciscatur, ut non magis suam ulcisci injuriam, quām delinquentium ferire culpam videatur; proindè omnis Superior, qui à subditis injuriam patitur, in ultione culparum, non tam poenam culpa debitam penset, quām honorem suum consideret, ut scilicet in inflictione poenæ, misericordia judicio superexaltetur, & in sua mansuetudine Deus glorificetur. Utique non debet Superior impunes relinquere subditorum excessus, illos maximè, quos præsentia suæ cohibere non valuit auctoritas, ne impunitas ausum pariat, & ausus excessum; sed ità debet plectere, ut qui poenam luit, misericordiam, & judicium cantare possit Domino suo.

#### SECTIO DECIMAQUARTA

*Domum Episcopi decet sanctitudo, decet modestia, decet honestas: horum disciplina custos. Sacerdotes domestici, aut cæteris honestiores, aut fabula omnibus sunt. In vultu, in habitu, in incessu illorum, qui circa te sunt, nihil residere impudicum, nihil indecens patiaris. Discant à te Coepiscopi tui, comatulos pueros, & comptos adolescentes secum non habere. Certè inter Mitratos, discurrere Calamistratos non decet. Et memento quod sapiens admonet: Filiae tibi sunt? Serva corpus illarum, & noli faciem tuam bilarem ad eas ostendere.*

**Q**uantum super disciplinam familiæ suæ, scilicet mores, & studia domesticorum invigilare debeant Præsules, quorum domum decet sanctitudo, numquam satis inculcatum Episcopis, quorum domestici, si cæteris non sint honestiores, utique omnibus fabula erunt. Hoc sibi

fibi debent habere persuasum , quamcumque domesticorum suorum culpam , statim in ore omnium futuram omnibus fabulam ; & delicta , quæ in aliis vix vulgus considerat , à domesticis Episcopi perpetrata , graviora etiam , quam fortè sint apparere ; ratio est quia domum Episcopi decet sanctitudo , & quidquid vel leviter ejus sanctimoniarum officit , grave est intuentibus , qui nonnisi probatis exempla hauriri posse , ut par est , arbitrantur . In domibus Babylonis confusiones discernere , vix ullam ingerit speciem ; domus , Domus sunt Babylonis , sed in domo Episcopi , quam decet sanctitudo peccata committi , domesticos habere minus honestos , modestiæ minus addicatos , in sermone insolentes , in habitu vanos , in incessu impudicos , iu vultu incompositos , grave utique scandalum , quod nequit non fieri statim omnibus fabula . Necesse est , ut qui in sæculo vivunt , discant à Sacerdotibus compositos induere mores , ornari virtutibus , à luxu abhorre , abstinere à vanitatibus . Præbere se debent Sacerdotes sæcularibus exemplum bonorum operum in fide , in doctrina , in gravitate , in verbo sano , & irreprehensibili , itaut populus vereatur , nihil habens dicere malum de ipsis : semper memores sint , quod quicumque exemplum relinquit aliis , particeps erit imitatorum suorum , sive in præmio si bonum , sive in supplicio si malum exemplum exhibuerit .

### SECTIO DECIMA QUINTA

*Nec austoritatem tamen suadeo tibi , sed gravitatem ; Illa infirmiores fugat : hæc reprimit leviores . Illa si adsit , odibilem , hæc si desit , contemptibilem reddit . In omnibus tamen , modus melior . Ego nec severius velim , nec dissolutius . Quid hac mediocritate gratius ; ut non de severitate sis oneri , nec de familiaritate contemptui .*

**M**edium inter austoritatem , & gravitatem sifit Bernardus Episcopum , siquidem illa si sola adsit facit odi-

odibilem, hæc si desit contemptibilem reddit: Neminem proinde Episcopus ita sibi familiararem faciat, quo præsente gravitatem deponat: nec ulli ita se austерum exhibeat, ut se faciat onerosum; utique *in omnibus*, & *cum omnibus modis melior*; in omni sermone, & opere ejus, qui Pontificia præeminet dignitate, semper debet verecundia enitere, & timor Domini: hic omnia interiora hominis ordinat ad beatitudinem, illa componit exterius ad disciplinam; ædificationem in omnibus operibus suis querere debet Prælatus, non ostentationem; illam acquireret, hanc devitabit, *si medium inter affabilitatem, & austерitatem se se componat*, ut de auctoritate non sit oneri, nec de affabilitate contemptui.

### SECTIO DECIMASEXTA

*In palatio, Papam; domi te patrem familias exhibe.*

**M**iscenda ab Episcopo cum familiaritate austерitas, cum gravitate affabilitas, sed secundum diversitatem locorum austерitas familiaritati, familiaritas austерitati præferenda. In palatio Papam se exhibeat, cum illa scilicet peragit, quæ omnino munera sunt Episcopalis, gravitas debet affabilitatem excedere, omnesque Præfulis actus comitari; vox ipsa, & incessus, compositio vultus, & gestus, spirare debent gravitatem, proinde ait Sanctus Bernardus, *in palatio Papam te exhibe, domi vero patrem familias*; quemadmodum paterfamilias cum filiis suis minus gravis apparet, ita & Episcopus cum tamquam pater pro spirituali remedio peccatores, aut pro solatio afflictos ad eum adventantes suscipit, affabilem magis, quam severum debet se exhibere, ne de nimia austерitate sit oneri, aut de familiaritate contemptui.

## SECTIO DECIMA SEPTIMA

*Ament te domesti ci tui: si non facito ut timeant.*

**S**Atius est pro bono regimine Superiore amari, quām timeri; ideò enīt̄ debet Superior, ut subditorum suorum amorem sibi conciliat; ubi verò nequeat obtinere amorem, saltem studeat timorem incutere; aut amor, aut timor subditos ad munericū sui obligationem impletandam impellunt; ubi utrumque desit, jam impossibile erit in disciplina subditos continere, propterea, *ament te domesti ci tui, si non facito ut timeant.*

## SECTIO DECIMA OCTAVA

*Utilis semper custodia oris, quæ tamen affabilitatis gratiam non excludat. Ergo ubique frenanda lingua præcepit maximè autem in convivio.*

**P**one Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiae labiis meis, orabat Rex David, optimè conscientius quām *utilis semper fuerit custodia oris*, his maximè qui præfunt, quos præ cæteris expedit cautos esse, & parcos in verbis, ne ubi fortè in opere non poterunt, neque capiantur in sermone. Perit omnis auctoritas in Superiore, quibuscumque aliis fulgeat charismatibus, si lingua labilem se prodit; ex sermone statim cognoscitur homo quanti sit ponderis, proinde utilis semper in omnibus, sed præcipue in Prælatis custodia oris, ad conciliandam sibi venerationem. Vir in dignitate constitutus, usquedum modici est sermonis, semper vir esse creditur multæ scientiæ, prudentiæ, & habilitatis; cuicunque ad Episcopatum vocato aptari posse deberent illa Ecclesiastici verba: *Eccles. 51. Dominus dedit mihi linguam mercedem meam, & in ipsa laudabo eum;* & item illa *Isaia 50. Dominus dedit mihi linguam eruditum, ut sciam sustentare*

To. II.

E e

cum,

*eum, qui lapsus est verbo.* Lingua canum, lingua esse debet Prælatorum, ut lingant ulcera peccatorum. Apostoli viri non norunt linguis loqui, nisi magnalia Dei, non autem locuti sunt aliquando, vel contentiones, aut jura Principum, non de valore, & pretio mercium, non de exitu litium, quæ agitantur in foro, non de rebus vanis, & sacerdotalibus. Nihil sic derogat auctoritati Superioris, quam lubricitas linguæ, quæ maximè inter epulas in conviviis solet invalescere; propterea juxta D. Bernardi monitum, *ubique frenanda lingua præceps, maximè autem in convivio.* Comendabilis illorum Episcoporum usus, qui D. Caroli Borromei, aliorumque SS. Præsulum imitatores facti, sacram lectionem lubentes adhibent, dum mensæ accumbunt, ut omnem vanum sermonem, qui in convivio facilius gliscere solet, devitent: facilius in convivio lingua labitur; difficilius quod inconsideratè profertur revocatur.

## SECTIO DECIMANONA

*Ille convenientior habitus; si tu aetu quidem severus sis,  
vultu serenus, verbo serius.*

**B**Enè compositus ad Prælatitiam dignitatem sustinendam erit Episcopus, si se se exhibeat *aetu severum, vultu serenum, verbo serium.* *Aetu severus*, nulli enim decet Episcopo actus quicunque sit minus remissus. Omnem Episcopi actum semper debet severitas comitari; nulla vel levitas, vel mollities, itaut in omni actione sua castigatus appareat; quidquid sive palam aetitet, sive etiam clauso ostio in cubiculo suo; ubi testes habet actionum suarum, & Deum, & Angelos; palam & Deum, & homines. *Vultu serenus;* hilarem enim datorem diligit Deus, cui in lætitia cordis famulari debemus, quam indicat ipsa serenitas vultus; hæc maximè decet Episcopum, ut reseret ad eum adventantibus, in suis angustiis pro solatio fa-

faciliorem aditum. *Verbo serius*; nugas, & otiosas fabulas facescere opus est ab ore Sacerdotis, quid ni ab ore Episcopi. Itaque verbo sit serius. Seriis tantum, & utilibus patere debet os Antistitis, soli Evangelio consecratum. Frustrà urbanitatis nomine colorantur sermones inutiles, qui cum munere Episcopali non consonant. Hoc priscæ, & rigidæ virtutis exemplum reliquerunt plures Episcopi, qui semper studuerunt devitare sermones, ad quos muneric ratio non compellebat; Sales, facetiæ, dicacitatem, non decent Sacerdotes, sed Rethores. Nihil est quod magis animi rigorem emolliat quam facetiæ, quam risum excutiunt. Hinc mens extra se sparsa confunditur, acies cordis obtunditur, intimus fervor extinguitur, reverentia Sacerdotalis amittitur, & quod pejus est rectè vivendi linea, quæ aliis ad exemplum proponenda est non tenetur. Sit itaque Episcopus, *actu severus, vultu serenus, verbo serius.*

## S E C T I O V I G E S I M A

*Capellani, & qui tecum jugiter divinis intersunt officiis, non sint sine honore.*

**C**ongruum est, ut qui apud Principem excellentiori sunt insigniti munere, majori etiam cumulentur honore. Fulget decus Principis in honore Ministrorum suorum; majoremque subditi erga Principem venerationum concipiunt, quo majori honore primarios Ministros condicatos venerantur. Subsidium Regiae Majestatis semper fuit auctoritas, decus, & honor Ministrorum ejus. Ubi subditi deferre honorem Ministris non assuescant, neque Regem verebuntur. Valde interest Principi suos honoriari Ministros, si suam vult revereri, & timeri Majestatem. Quandocumque subditi cœperunt regios contemnere Ministros, statim contra ipsum Principem insurrexerunt procaces. Domestici Principis non sint sine honore,

nore , idest honorentur : non sint sine honore idest sint honorati , virtutibus addicti , à vitiis alieni , ambulent in via immaculatà , & honorificabunt ministerium suum . Gloria patris filius sapiens ; honor Domini , domestici honorati .

### SECTIO VIGESIMA PRIMA

*Tuum est tales tibi providere , qui digni sunt . Serviatur eis ab omnibus , tamquam tibi .*

**D**ignos eligat Princeps Ministros , si sibi submissos , ministerio obedientes fatagit subditos continere . Jus boni regiminis exigit , ut ministris tamquam ipsi Regi subditi obediant . Ubi despectum à subditis sit ministerium , sedebit Rex solitarius , & erit quasi fatuus in folio .

### SECTIO VIGESIMA SECUNDA

*Necessaria de manu tua accipient . His contenti sint , quæ tu provideris illis : tu vide ne egeant .*

**Q**uae ad congruam Ministrorum suorum sustentationem necessaria sunt debet Princeps providere ; optimi enim regiminis regula exigit , ut qui regio addicti sunt servitio , abundantia potius , quam tenuia accipient stipendia ; secus si egeat Minister , numquam manus suas fervabit innoxias à munere , & cum raptoribus ponet portionem suam . Minister egenus , & pauper , ut plurimum semper venalis fuit . Fallitur Princeps , si fidellem suo addictum servitio habere posse arbitratur Ministrum , cui sola Principis gratia , & honor sufficere debeat pro stipendio ; dignus est omnis operarius , pro ratione muneris , laboris , & oneris , mercede sua . Numquam invenire fuit Ministrum , cui sola Principis gratia , fuerit tota

tota merces ; efficacior est spes lucri , quam honoris ad augendum in subditis amorem erga Principem suum ; si Princeps Ministris ex suo avario sufficienter non providet , student aliundè suum augere emolumentum . Ubi Dominus non est liberalis , servus non est fidelis . Minister egenus non potest vacare regiis negotiis , sed studere , opus habet quomodo suæ provideat egestati . Necessaria itaque de manu Principis accipient , qui regio addicti sunt ministerio . Caveat Princeps ne egeant , si in eis integritatem desiderat .

### S E C T I O V I G E S I M A T E R T I A

*Super hoc quem fortè ab adventantibus petere  
deprehendes , judica Gesitam .*

**N**ota satis est omnibus historia Giesi , qui Orbi factus est fabula , propter munera suscepta , oblatore Naaman Syro , à lepra mundato , & ab Elisæo non acceptata ; propterea Giesitæ vocantur quotquot ab adventantibus , pro gratia obtainenda , munera petere deprehenduntur . Quòd si quemadmodum Giesi contigit , petentibus importunè munera , lepra adhæreret , passim obvii haberentur leprosi ; nam vix sinè præmissis muneribus , possunt nunc temporis negotia proponi .

### S E C T I O V I G E S I M A Q U A R T A

*Id de Ostiariis , id de cæteris officialibus decernendum . Verum hoc ex abundanti , nam formam istam jam olim à te positam recordamur .*

**Q**uotquot regio addicti sunt ministerio , vult Bernardus , ut necessaria de manu Principis accipient , ne egeant : fortè ne opus habeant querere ab adversis superflua ; tum quia egestas obtundit mentem , ne libera

bera possit in arduis, & emergentibus negotiis discutendis, illà quà par est sedulitate, se immergere, ut iisdem valeat congruam providentiam exhibere. Minister egenus cum studere debeat quà ratione egestati suæ provideat, non potest simul, & semel animum Regiis negotiis absolventis devovere. Veritas hæc Eugenio, in Solio Pontificio principanti, satis fuit perspecta; propterea statim ac Pontificium assumptus fuit ad regnum, Bernardo teste, abundantem exhibuit omnibus suis Officialibus providentiam. Non desunt aulæ, in quibus nunc opus esset hanc optimi regiminis methodum ad praxim reducere, ubi potissimum studium ferè totum est stipendia diminuere, laborem augere, & vix ad miseram sustentationem officialium necessaria impertiri.

### SECTIO VIGESIMA QUINTA

*Quid tuo dignius Apostolatu? Quid salubrius ad conscientiam, honestius ad famam, utilius ad exemplum: Optimus Canon, qui projicit avaritiam ex calunnia, & non à conscientia tantum.*

**H**is qui præsunt, nil salubrius ad conscientiam, nil honestius ad famam, nil utilius ad exemplum, quàm reddere unicuique quod suum est, honorem honore dignis, stipendum congruum suo addictis servitio, mercedem laborantibus; vix est quod Principem reddit subditis magis exosum, quàm avaritia; propterea hoc præ cæteris sibi persuadere debent, ad conciliandum subditorum affectum, esse pernecessarium projicere avaritiam ex calunnia, non à conscientia tantum. Ad decus, & gloriam Principis, non sufficit projicere avaritiam à conscientia tantum, reddendo omnibus, id quod justitia postulat; sed liberalitate digna Principe, necesse est etiam projicere avaritiam ex calunnia.

## CAPUT SEPTIMUM

## SYNOPSIS.

*Epilogum seu summam eorum, quæ in Pontifice requiruntur exhibet præsens caput, proferens catalogum virtutum, & titulorum, quibus opus est ornari Summum Pontificem. Quæ & quanta sit Summi Pontificis auctoritas, & Sanctæ Romanae Ecclesiæ dignitas, quæ cunctarum totius orbis Ecclesiarum mater nuncupantur.*

## SECTIO PRIMA

*Liber jam, & hunc claudere librum: sed in calce, aliqua velim vel antedicta quasi epilogando repetere, vel addere prætermissa. Consideres ante omnia Sanctam Romanam Ecclesiam, cui Deo auctore præs, Ecclesiarum matrem esse, non dominam: Te verò non dominum Episcoporum, sed unum ex ipsis: porrò fratrem diligentium Deum, & participem timentium eum.*

**Q**uis Bernardo sensus fuerit de Summi Pontificis potestate, & primatu, ex his quæ passim, de Romano Pontifice differens, suis inseruit inscriptis, facile colligitur; undè etiam liquet intelligere, quo sensu in præsenti scripsiterit, Romanum Pontificem unum esse ex Episcopis, fratrem diligentium Deum; quæ verba perperam extorquere nituntur Etherodxi, ad deprimentam auctoritatem Pontificiam, quasi inter Episcopos Romanus Pontifex unus sit inter pares, & non potius tali fulgeat primatu, qui eundem Romanum Pontificem verum Ecclesiæ caput constituat, omnimodi auctoritate, potestate, & domino condecoratum super cæteros totius Orbis Episcopos; quandoquidem scribit Bernardus: *Consideres te verò non dominum Episcoporum, sed unum ex ipsis.* Orbis Catholicon

licus in plures divisus est Episcopatus, & quotquot ad eosdem inveniuntur assumpti, quatenus suis respectivè præsunt Ecclesiis, fratres sunt diligentium Deum, & eodem jure in suo Episcopatu, prout Episcopi sunt, omnes potiuntur; quapropter unus ex fratribus diligentium Deum etiam est Romanæ Urbis Antistes, qui fratres cæteros Episcopos appellare consuevit, & in hoc sensu dixit Bernardus Eugenio: *Consideres te non Dominum Episcoporum, sed unum ex ipsis.* Quatenus verò Romanæ Urbis Episcopus, prout D. Petri successor, & immediatus Christi Vicarius in terris consideratur, utique sicut Romana Ecclesia cæterarum est mater, ità & Romanus Episcopus omnium Episcoporum pater est, stante prærogativa primatus super omnes Ecclesiæ à Christo D. Petro, & in eo omnibus ejus successoribus collata: de prærogativa primatus Romani Pontificis jam satis in antecedentibus pro nostro Instituto actum est; reliquum est, ut in præsenti colligamus ex D. Bernardi scriptis, qualis fuerit ejusdem sensus de Summi Pontificatus potestate, & primatu super omnes totius Orbis Ecclesiæ; mellifluo itaque suo calamo Epist. 243. ad Senatum, Populumque Romanum scribens, luculenter satis explicat, Summum Pontificem esse totius Ecclesiæ caput, itaut Romani Pontificis læsio, omnes Catholicos tangere debeat, sicut læso capite omnia membra dolent. Romanum verò Pontificem, non modò Primatem totius Ecclesiæ, sed etiam Dominum meritò nuncupari, expressis verbis scribit S. Doctor Epist. 238. ad Eugenium. Hæc sunt ejus verba cedro digna. *Terribilis prorsus, terribilis est locus iste, locus inquam in quo stas, terra sancta est, locus Petri est, locus Principis Apostolorum, ubi steterunt pedes ejus, locus illius est, quem constituit Dominus Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ.* Insuper Apostolicae Sedi plenitudinem potestatis, super universas Orbis Ecclesiæ, singulari privilegio esse concessam, constat ex his, quæ S. Doctor scribit Epist. 131. ad Mediolanenses: *Plenitudo siquidem potesta-*

testatis, super universas orbis Ecclesias, singulari prærogativa Apostolicae Sedi donata est; qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Potest, si utile judicaverit, novos ordinare Episcopos, ubi hactenus non fuerunt, potest eos qui sunt alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictaverit, ita ut de Episcopis creare Archiepiscopos licet, & è converso si necesse visum fuerit. Potest à finibus terræ sublimes quascumque personas Ecclesiasticas evocare, & cogere ad suam præsentiam, non semel, aut bis, sed quoties expedire videbit. Porro in promptu est ei omnem ulcisci inobedientiam, si quis forte reluctari conatus fuerit. Neminem profectò invenire est ex Sanctis Patribus, qui adeò disertis, & expressis sensibus, de Romani Pontificis auctoritate, potestate, primatu, & dominio super universas Orbis Ecclesias luculentius scripsérunt. Sed, ad pleniorum Doctoris melliflui intelligentiam, utque melius innotescat qualis fuerit ejus sensus de primatu, & potestate Romani Pontificis, juvat etiam hic subjicere, quæ Epistola 239. ad Eugenium expressit: *Qui locum Petri tenet potest uno iuctu extinguere Ananiam, uno Simonem Magum, & ut planius quod loquimur fiat: peremptoriam dare sententiam ad depositionem Episcoporum, solius Romani Pontificis noscitur esse; pro eo nimirum, quod & si alii multivocati sunt in partem sollicitudinis, solus ipse plenitudinem habeat potestatis.* Ex hactenus dictis, jam liquidò constat, quo sensu scripsérunt S. Doctor: *Consideres te verò, non Dominum Episcoporum, sed unum ex ipsis.*

## S E C T I O   S E C U N D A

*De cetero oportere te esse considera, formam justitiae, sanctimoniac speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, doctorem gentium, Christianorum ducem, amicum sponsi, sponsæ paranymphum, Cleri ordinatorem, pastorem plebium, Magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum advocationem.*

To. II.

F f

misce-

*miserorum spem, tutorem pupillorum, judicem viduarum, oculum cæcorum, baculum senum, ultorem sclerum, malorum metum, bonorum gloriam &c.*

**V**irtutum series, quibus ornari debet Summus Pontifex, hic epilogando colligitur, de quibus omnibus sparsim, in hoc opere, jam satis pro nostro munere actum: sola hic potest incidere quæstio, quomodo Pontifex, qui verè dicitur Ecclesiæ sponsus, vocetur à Di-vo Bernardo sponsæ paronymphus, pro cuius rei intelligentia, sciendum quòd propriæ loquendo, Sponsus Ecclesiæ solus est Christus, ipse enim de Ecclesia suo nomine filios generat; alii autem dicuntur Sponsi, in quantum cooperantur ad generationem spiritualem filiorum, quos quidem non sibi, sed Christo generant; & ideo Papa in tota Ecclesia universalis Ecclesiæ Sponsus dicitur: est ve-rò paronymphus, quia quos Ecclesiæ generat, non sibi, sed Christo despontat.

### S E C T I O T E R T I A

*Ubi malitia juncta potentia est: aliquid tibi supra hominem præsumendum. Vultus tuus super facientes mala. Timeat spiritum iræ tuae, qui hominem non veretur &c.*

**Q**uandocumque malitia potentia juncta, Apostolicae Sedi se infensam exhibuit, consueverunt Sanctissimi Pontifices, ad orationes, sive privatas, sive publicas se convertere, arma potentia Deo, nec umquam fraudati sunt à desiderio suo; levarunt oculos suos in montes, unde venit auxilium; itaut aliquid supra hominem præsumentes, fortes facti sint contra malitiosam potentiam; testimonio enim suæ fidei, & orationis probati, castra verterunt exterorum, effugaverunt acies, sola opitulante Dei gratia, quam enixis orationibus implorarunt, & experti sunt propitiam; memores promissi Dominici, qui dixit ad

ad Petrum; portæ inferi non prævalebunt aduersus eam; ubi itaque humanæ malitiæ junctam potentiam animadver-tunt Romani Pontifices, insultantem contra Ecclesiam, sciant in promisso Dei aliquid sibi supra hominem præ-sumendum; & totius Ecclesiæ orationum suffragio, sperent se posse timorem incutere his, qui pastorales admonitio-nes contemnunt, qui tandem proprio edocti exemplo con-fiteri cogentur, quod Deum, non hominem sibi iratum pa-vore debet, qui Romanum Pontificem contra se iratum experitur: *S. Ber. serm. ad Clerum in Conc. Rem. congreg.* Præter Deum non est similis ei, nec in cælo, nec in terra, secundum officium dico, non secundum meritum, cui enim Angelorum aliquando dixit Deus: quæcumque ligaveris su-per terram, erunt ligata, & in cælis.

## I N L I B R U M Q U I N T U M

*Brevis dissertatio, continens totius libri*  
S Y N O P S I M.

**S**Ubtiorum, quæ inter Theologos agitari solent quæ-stionum compendium, perstringit quintus de Consideratione liber, qui propterea specialius de Consideratione inscribitur, dum totus in consideratione eorum, quæ su-prè nos sunt versatur; quatenus de Deo, rebusque divini sermonem instituit: quà in re totus præsens liber con-sumitur, quatuordecim divisus in capita, in quorum pri-mo ostendit S. Doctor, qualiter quisquis hic viator est, opus habet visibilium rerum scalà, ut ad invisibilium cognitionem ascendat; quod satis expresserat Paulus ad Ro-man. i. Non sic Beati, sive Cælestis Jerusalem cives, non sic. Hi siquidem vident verbum, & in verbo facta per verbum. Tres considerationis gradus, & species propo-nit caput secundum. Deum, & Angelos investigat, ca-put tertium. De natura, & essentia Angelorum, de eo-

rumdem nominibus, officiis, gradibus, & distinctionibus sigillatim agere omnino sibi vindicat caput quartum. De eorumdem verò gratiis, & dotibus differere, undè suum ducant initium, quomodo insit homini Angelus, quomodo Deus; quà ratione discriminentur actiones Dei, Angelorum, & hominum, explicit caput quintum. Expendit in sexto quomodo principii, & essentiæ ratio soli Deo conveniat; quà ratione Deus sit suum esse, quid sit Deus, qui sibi soli est principium, ex quo, per quem, & in quo sunt omnia, & demum ubi sit Deus. De ineffabili Trinitatis Mysterio sermonem instituit capite septimo, & octavo, in quorum primo hæreses de Trinitate malè sentientes convellit; quomodo autem Deus sit Trinus, & simplex; omnium rerum perfectiones eminenter, non formaliter contineantur in Deo; Deus sit trinus, & unus; Trinitas in unitate, & unitas in Trinitate venerari debet ostendit. In altero verò docet, quà ratione personarum pluralitas in Deo consurgat ex proprietatibus, & nihilominus divina essentia sit semper una, & simplex, & demum concludit, quòd sola fide comprehendendi possit Trinitatis Mysterium. In capite nono, & decimo, de duabus Christi naturis in unam coalescentibus personam sermocinatur, ubi docet qualia prædicta ex vi unionis hypostaticæ consurgant in Christo, & arduiores de Mysterio Incarnationis difficultates enodare aggreditur. In capite undecimo recurrit consideratio ad Dei essentiam iterum investigandam. Manifestat caput duodecimum, Deum bonorum operum pium remuneratorem, & scelerum aquifissimum vindicem. In decimotertio de longitudine, latitudine, profunditate, & sublimitate Dei, profundè, & eleganter differit. Claudit librum caput decimumquartum exhibens modum quo prædicta secundum Apostolum possunt comprehendi. Ex hac quinti de Consideratione libri synopsi, patet integros tractatus theologicos necessarium fore contexere, si quis vellet de omnibus quæstionibus, quas in hoc libro perstringit S. Doctor, insertis op-

portunis considerationibus, fusiorem sermonem instituere; quam provinciam pro modulo meo assumpsi in opere à me inscripto: *Schola melliflua, sive cursus scholastico dogmaticus, ad mentem melliflui Ecclesiae Doctoris S. Bernardi absolutus.*

## I N D E X

*Præcipuorum Proverbiorum, & Sententiarum, quæ in hoc opere continentur.*

### L E C T O R I .

**L**ibros S. Bernardi de Consideratione sententiosis pro verbiis, gravissimisque sententiis esse refertos, cuiuscumque eosdem percurrenti satis per se est perspicuum, ex quâ scribendi sententiosa methodo, speciali gratia, & efficacia præfati libri enitere videntur. Nihil ad gravitatem, suavitatem, & efficaciam sermonis præstantius, quam in sermone sententias inserere, quarum una sæpè menti auditoris impressa, sufficit ad persuadendum, quod prolixâ oratione aliquando nequit obtineri. Ut ergo facilius sententiæ in hoc opere insertæ obviæ fiant legentibus, potiores in unum collectas, hic exhibere Lectori benevolo, gratum fore sum arbitratus, Gerardi Vosii morem secutus, qui in calce librorum de Consideratione, quos de mandato Clementis VIII. cum pluribus manuscriptis recognitos typis mandavit, præcipuas sententias, in præfatis libris contentas, collegit.

### E X L I B R O P R I M O.

*Sententiae selectæ.*

**N**on omnia quæ vera, semper dicenda.  
Veritas in aulis, nonnisi fucata recipitur.

Prin-

Principem alloquenti bonum est sapere, sed sapere ad sobrietatem.

Poenitere te potest coram Principe locutum fuisse, tacuisse nunquam.

Qui Principem alloquitur est in judicio; qui de Principe est sub censoribus.

Spes lucri corrumpit amicos.

Satius est sub bonis Consiliariis malum regnare Principem, quam sub bono Principe malos Consiliarios principare.

Ex una parte ledendus animus, in cæteris debet confoveri.

Principes vix se defectibiles credunt.

Cum Principibus, cura blandiente bonum est uti.

Nullus est honor sine onere.

Maximus honor, maximum onus.

Omnibus cupiditatibus ardenter est dominandi libido.

Principatus est cura salutis alienæ.

Tum diadema, tum Thyara habent sarcinam suam.

Qui addit honorem, addit & dolorem.

Qui lætantur ad ascensum, timeant ad lapsum.

Æger se non sentiens, periculosius laborat.

Voluptuosa vita, & regnantis conditio incompatibilis sunt.

Dignitates plures occupant, pauci implent.

Dolori factus insensibilis, non dicendus est fortis, sed stupidus.

Vera virtus suspicione caret.

Tolerabilius est justificare peccatorem, quam præjudicare innocentem.

Ad Solium Pontificium, aut claros erigit Deus, aut qui eriguntur illustrat.

Facilius proximi vitia, quam virtutes intendimus.

Nutritur suspicio, ubi abundat invidia.

Plaga recens dolore non caret.

Digne elititur, qui invitus elititur.

Perseverantia est consumatio virtutis.

Nihil sic detrahit auctoritatis Principis, quām destituentia statuere.

Maximè se novit, qui se nihil putat.

Plato ignorantiam sui genus improbitatis appellat.

Is bene se novit, qui se nihil putat.

Qui malè arat, pejus metit.

Vera quies est vivere de sua salute sollicitum.

Nimia fiducia calamitatibus semper fuit obnoxia.

Egrè reprehendas, quod finis consuescere.

Qui spernit modica paulatim decidet.

Affectui proprio nunquam credendum.

Facilè decipitur, qui proprio credit affectui.

Temerarius est qui non timet, ubi alii pereunt.

Præsumptio firmitatis, firmitatem excludit.

Vitia facilius, quām virtutes induimus.

Ubi proprius dominatur affectus, non regnat ratio, sed passio.

Nihil tam fixum animo, quod neglectu, & tempore non obsolecat.

Facilius præveniuntur morbi, quām expellantur.

Alienæ reus est culpæ, qui cum possit non emendat.

Præcipiti morbo, præcipiti medicamine obviandum.

Optimus est medicus, qui non sinit ægrotos extabescere.

Malum consuetum, quamvis leve, semper timendum.

Qui consuetudini non resistit, vitium in naturam convertit.

Quod fit sàpè, ferè accedit ad semper.

Facile oppugnatur, qui primis motibus non repugnat.

Cupienti declinare à malis habitibus, summa rei est abstinere à primis actibus.

Pudor est tamquam vestis, hæc quò obsoletior, tantò incuriosius habetur.

Peccatorum timenda plus multitudo, quām magnitudo.

Ubi quis diù gliscit, ibi etiam cum noluerit cadit.

Ne-

Nemo diù tutus est , qui periculo proximus est.

Timere ad evidentia pericula , non est timiditas , sed prudentialia .

Periculis se offerre temeritas est.

Periculum cum contemnitur , citius invenitur.

Periclitatur pietas in multis negotiis.

Superiorum lapsus sunt ruina multorum .

Affluescat ad se redire , qui ad cor durum non vult transire .

Benè filosofari , est seipsum benè cognoscere .

Ignorantia sui gignit audaciam .

Qui compungitur ad lacrimas , visitatur à Domino .

Ingratus beneficiis nequit habere rationem pietatis .

Ubi majora impertita sunt beneficia , ibi graviora erunt judicia .

Infaustum expectet exitum , qui bonum spernit consilium .

Consilia qui respuit cum accipere potuit , amisit cum percipere voluit .

Verecundia est color virtutis .

Sæpe franguntur pudore , qui non vincuntur ratione .

In periculum non necessarium se sponte conjicere , dementia est .

Prudenti cedens consilio , vitat periculum .

Infrenis est , cui non incutitur timor alio pereunte .

Regium est injurias beneficiis vincere , servile autem muniti odii pertinaciæ pensare .

Princeps non debet plectere injuriam , sed malitiam .

Non passio , sed ratio debet decernere poenam .

In Sapientem non cadit injuria .

Probris moribus mendacem facere contumeliosum , optimæ vindicta est .

Stultitia est respondere furiosis , sapientia tacere cum provocantibus .

Quod semel expedit , non semper expedit .

Modus optimus captivandi honorem , est honorare .

Non

- Non placere pluribus , sed prodesse omnibus studen-  
dum .
- Qui non tua , sed te diligit querendus est .
- Sicut nulla ætas sera est ad discendum , sic nulla ætas ef-  
fugere debet consilium .
- Deplorare , & non emendare , superfluum est .
- Qui patiens est multa gubernatur sapientia , qui autem  
impatiens , exaltat stultitiam suam .
- Tolerasse , & odisse , non est virtus mansuetudinis , sed ve-  
lamentum furoris .
- Superat patientia quod non vincitur auro .
- Zelus justus sine peccato irascitur .
- Multitudo peccantium non alleviat onus peccati .
- Nihil prodeit multitudo , ubi singuli de singulis judicabi-  
mur .
- Nunquam liber est , qui suis nescit dominari passionibus .
- Ne quid nimis .
- Affiduuus labor frangit animum .
- Nemo potest valde dolere & diu .
- Aut de remedio consolatio , aut de affiduitate stupor .
- Libentius suscipitur labor pro desiderio voluntatis , quam  
pro amore virtutis .
- Quidquid in superfluos usus erogatur , profusio est .
- Unicuique loquitur conscientia sua .
- Vera libertas , & sæculi curæ nusquam conveniunt .
- Facilius studemus lucrifacere plura , quam plures .
- Mendicitas Clericorum , est ignominia Episcoporum .
- Rem alienam possidet , qui superflua possidet .
- Sicut qui immittit lapidem in acervum Mercurii , ita qui  
tribuit insipienti honorem .
- Bonus etiam si serviat liber est , malus etiam si regnet  
servus est .
- Vir Evangelicus evangelicè loquitur .
- Ubi multiplicitas legum , ibi exuberantia defectuum .
- Nil differt non habere leges , & non custodire .

Fabulationes dissipant recta consilia.  
 Veritatis in aulis multa est inopia.  
 Obsequium peccato accommodat, qui cum possit non corrigit.  
 Errare malum, emendationem negligere pessimum.  
 In regimine nihil perniciosius præcipitatis actionibus.  
 Summa est ignavia aliorum salutem querere, & propriam despicere.  
 Habet homo ex se posse peccare, non habet ex se posse resurgere.  
 Vir bonus est, qui consulta patrum, qui leges, juraque servat.  
 Lex gregis est flamma pastoris.  
 Misera Prælatorum conversatio, misera subditorum subversio est.  
 Quantum quis de aliena salute est anxius, tantum esse debet de propria sollicitus.  
 Qui sibi nequam, nemini bonus.  
 Spes fortunæ, & timor offendæ mali sunt consiliarii.  
 Tutius est in aulis timiditate, quam temeritate periclitari.  
 Sapiens timiditate omnino non caret.  
 Temeritas cum Sapientia non commiscetur.  
 Vera sapientia est, præsenti momento semper uti quam optimè.  
 Non leges genio, sed genium legibus accommodandum.  
 Nemo verè militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.  
 Stultitia seculi eò insipientius de alieno judicat, quò profundius seipsum ignorat.  
 Vir prudens agit iustè, quod justum est.  
 Facilè est linguam contra alios labi, quæ sæpè labitur contrà seipsum.  
 Quod exemplo Superiorum fit, hoc jure fieri putant subdit. 30  
 Duo maximè nos movent, exemplum, & similitudo.  
 Dignum se probat filium, qui proborum parentum imitatur exemplum.

Ter-

Terrena declinat, qui cælestia desiderat.  
 Non spirituale propter temporale, sed temporale propter  
     spirituale promovendum est.  
 Virtus quæ medium non servat, in vitium declinat.  
 Necesitati cedendum.  
 Omnis aëlio debet consideratione præveniri.  
 Considerandum in omnibus an liceant, an deceant, an  
     expediant.  
 Sapientis est examinare cœnsilia, & non citò facili credu-  
     litate prolabi.  
 Aggredere tardus agenda, aggressus age constans.  
 Nunquam commotioni contemplatio jungitur.  
 Nec æquo sine freno, nec fortitudine sine prudentiâ tutò  
     quis uti potest.  
 Comendabilius prudentiâ, quam viribus superare inimicum.  
 Tām nutritivus est vitiorum nimius excessus, quam pa-  
     ricida virtutum nimius defectus.  
 Ne quid nimis.  
 Noli nimium esse justus.  
 Non plus sapere, quam oportet sapere.  
 In medio virtus.  
 Paucorum prudentia est.  
 Qui hoc facit quod nullus, mirantur omnes.  
 Contumeliarum patientia, ingens instrumentum ad regnum.  
 Ramus incurvus manum violentam non sustinet.  
 Correctio incongrua plus exasperat, quam liniat delin-  
     quentem.  
 Quos cruciamenta non corrigunt, lenia blandimenta com-  
     pescunt.  
 Potestas cum habetur cogitanda est ad utilitatem.  
 Verè regnat, qui bona jubet, mala prohibet.  
 Nullum magis expedit bona scire, meliora operari, quam  
     Principem.  
 Qui judicat inauditis partibus, quamvis justum judicet, in-  
     justè judicat.  
 Sæpè major est sumptus causæ, quam fructus sententiaæ.

Multa verba stultam faciunt orationem.  
 Multis verbis non eget veritas.  
 Loquacitas multos habet errores.  
 Principis est non disputare, aut suadere, sed jubere.  
 Qui non vult audire, nec regnet.  
 Tenetur honorem ministerii deponere, qui renuit onus  
 audientiae sustinere.  
 Sermo efficax exemplum operis.  
 Mores, & vitia Principis imitari, videtur genus obsequii.  
 Optimus subditorum liber est Principis vultus.  
 Debet Princeps Majestatem cum benignitate componere.  
 Tam omnibus parcere crudelitas est, quam nulli.  
 Necesse est condolere naturae, sed etiam necesse est legi  
 suffragari.  
 Impunita delicta parant regnis exitium.  
 Excæcant munera etiam prudentes.  
 Non tam imperio opus est, quam exemplo.  
 Boni Principis vita, bonitatis quædam præscriptio est.

## EX LIBRO SECUNDO

*Sententiae selectæ.*

**V**ir probus æquè stat promissis, ac juramento fancitis.  
 Promittere, & non adimplere, idem est ac decipere.  
 Magnos magna decent.  
 Meliora consilia sunt, quæ magis secreta exequuntur.  
 In propria causa, raro proficit propria opinio.  
 Reus est, non qui accusatur, sed qui convincitur.  
 Nihil prodest si omnes laudent, & conscientia accuset.  
 Benè sibi conscientis non movetur alienis convitiis.  
 Semper desipit, qui cum plura sciat, seipsum ignorat.  
 Prima scientia est noscere seipsum.  
 Non multa, sed utilia scientem, probat scientiarum Do-  
 minus.  
 Nihil arduum esse potest in præcepto, ubi salus est in pro-  
 missio.

- Sapienti nihil alienum , nisi quod suæ saluti est incongruum .  
Nec contra , nec præter salutem nihil agendum , vel cogitandum .  
Dies , dies sunt salutis , non voluptatis .  
Unus exitus homini , & jumento .  
Mortale rationale humiliat ; rationale mortale confortat .  
Mors nescit imperium , nemini parcit .  
In statu perfectionis degenti , agere citrè perfectum , prorsus indignum .  
Suam probat perfectionem , qui ad perfectum semper emititur .  
Magnus est , qui in magnis se minimum reputat .  
Honores mutant mores .  
Humilitatem in fastigio servare , rara avis in terris .  
Vera amicitia non facit verba , sed opera .  
Negotiatione est , non amicitia , quæ solum utile quærit .  
Sua sorte contentus , semper est hilaris .  
Aliorum ruina debet nobis esse cautela .  
In alto positum , non altum sapere , difficile est .  
Dedignatio subjectionis , prælationis reddit indignum .  
Qui vult de Evangelio vivere , debet juxta Evangelium conversari .  
Exemplo efficacius docemur , quam verbo .  
Facile persuadet quod intendit , qui probat factibile quod suadet .  
Cedit à se , qui attollitur supra se .  
Magna fælicitas est , à fælicitate non vinci .  
Non dignitas virtutem , sed virtus dignitatem exornat .  
Verè sapiens se insciūm putat .  
Altior fortuna sæpe casibus est obnoxia .  
Humilitas nunquam passa est casum .  
Omnia tempus habent .  
Tantò quisque convincitur minus sapiens , quantò est minus patiens .  
Plures corrupti prosperitas , quam adversitas .

Benè providet, qui benè prævidet.  
 Inter sacerulares nugæ, in ore Sacerdotis blasfemiæ.  
 Pauper est, non qui parum habet, sed qui multum desi-  
     derat.  
 Exiguum natura desiderat, opinio immensum.  
 Dicitiarum acquisitio est laboris, possessio timoris, amissio doloris.  
 Quantò major es, tantò humilia te in omnibus.  
 Antequam fuscipias onus, estima opus.  
 Scienti, & non facienti, peccatum est ei.  
 Exemplo efficacius docemus, quam verbo.  
 Humilitas in nobili plus placet, quia plus claret.  
 In ornatu Pontificis nulla splendidior gemma humilitate.  
 Gradus summus, animus infimus, monstruosa res.  
 Bene enititur ad perfectum, qui semper timet defectum.  
 Omnia illi desunt, qui sibi nihil deesse putat.  
 Difficile est cum honoribus humilitatem componere.  
 Veh' hominibus, qui præsident, nisi in ipsis præsideat Deus.  
 Teneat medium, qui non vult perdere modum.  
 Zelus à discretione sejunctus, semper est perniciosus.  
 Bonitas, disciplina, & scientia verum Superiorem compo-  
     nunt.  
 Mundana fælicitas cui arridet, etiam irridet.  
 Os evangelio consecratum, fabulis aperire illicitum, af-  
     fuescere sacrilegum est.  
 Inefficax doctrina, cui non respondet vita.  
 Custodiat linguam, qui vult custodire æquitatem.  
 Qui opus habet mores suos corrigere, non potest alienos  
     reprehendere.  
 Acceptor personarum, non potest attendere ad merita  
     causarum.  
 Genus est avaritiæ desiderium habendi, plus quam sit ne-  
     cessè.  
 Facilis ad credendum levis est corde.  
 Coram Principe sermo brevis competentior est.

## EX LIBRO TERTIO

*Sententiæ selectæ.*

**F**acile dispensatio in dominationem convertitur.  
In mundum nascentes nihil intulimus, à mundo morientes nihil auferemus.

Dispensatio tradita est, non data possessio.

Tollantur de medio superflua, & abundabunt necessaria.  
Humana malitia aliorum detrimentum, suum convertit in lucrum.

Ibit superbit impius, ubi incenditur pauper.

Ubi munera diligit Dominus, venalis est servus.

Pecunia quæ misericordem justificat, avarum condemnat.  
In votis reddendis, plus Deus computat affectum, quam censem.

Potestatem habenti id facere laus est quod decet, non quod libet.

Plenitudo potestatis à plenitudine justitiae nunquam debet esse sejuncta.

Hæredum prodigalitas dissipat quidquid Ecclesiasticorum avaritia cumulat.

Pro charitate fovenda statuta, pro charitate amplianda possunt destitui.

Vim vi licet repellere.

Plus concupiscentia mundi, quam substantia nocet.

Nil magis ambitione torquet, nil magis ambitione placet.

Periclitatur regimen ubi adolescentior est gubernator.

Multiplicata remedia exasperant plagam.

Unusquisque in suo sensu abundat.

In pluralitate votantium rara est unanimitas.

Sæpe satius cedere, quam judiciorum aleam subire.

Non tam præesse, quam prodesse, munus est Superioris.

Verum beneficium est omnino gratuitum.

Vitia Principum, subditis sunt incitamenta ad peccatum.

Quantò plus acquirimus, tantò plus concupiscimus.

Munera excæcant judices.  
 Non omnia quæ licent semper expedient.  
 Superior scandalizat, si non ædificat.  
 Voluntate uti pro lege, pecudum est.  
 Pro ratione, non pro libitu agendum.  
 Nunquam est licitum, quod illicita parturit.  
 Dispensatio, quam non cohonestat necessitas, est diffi-  
 patio.  
 Nulla permisso potest facere licitum quod est malum.  
 Non probandi, sed probati aptari debent ministeriis.

## EX LIBRO QUARTO

*Sententiae selectæ.*

**C**Oram posita incuriam non admittunt.  
 Ubi languor in capite, ibi meror in corde.  
 Quod perperam agitur Superiore præsente, est illi turpius.  
 Tacere non licet, cui ex officio loqui incumbit.  
 Dessimia Prælatorum est perditio animarum.  
 In laboribus potius, quam in profectibus gloriandum.  
 Consuetudo quantò diutius, tantò fortius inhæret.  
 Sapiens habitat in consiliis.  
 Non sufficit Principi bonum esse, nisi & bona provideat.  
 Bonus non est aliis, qui non est sibi.  
 Ministrorum pravitas Principum gloriam deturpat.  
 Plus sapientiae, quam eloquentiae deferendum.  
 Post factum sera retractatio est.  
 Nihil sic derogat Principi, quam destituenda statuere.  
 Aula facilius recipit, quam faciat bonos.  
 Facilius vitiis, quam virtutibus natura adhæret.  
 Munerum cupiditas justitiam enervat.  
 Superiorum mores, subditi suos faciunt.  
 Difficile est quæ sursum sunt sapere, & his quæ deorsum  
 occupari.  
 Multa nescias, plura dissimiles, nonnulla obliviscaris.

Aqui-

Aquilarum non est capere mūscas.

Nec de severitate sis oneri, nec de affabilitate contem-  
ptui.

Impunitas ausum parit, ausus excessum.

Relinquens exemplum, particeps est imitatorum suorum.

Satius est Superiorem amari, quam timeri.

Custodia oris semper fuit utilis.

Superior sit actu severus, vultu serenus, verbo serius.

Honor Domini, domestici honorati.

Minister egenus, ut plurimum venalis.



## I N D E X

## N O T A B I L I U M

*Numerus primus Tomum, secundus paginam indicat.*

## A

- A**busibus initio resistendum. T. 1. p. 26. 160.  
 Abusus qua cautela emendandi. 1. 144.  
 Abusus introducti contra disciplinam Ecclesiasticam expen-  
 duntur. 2. 130.  
 Actio semper debet consideratione præveniri. 1. 87.  
 Advocatus quarè sic dictus. 1. 152.  
 Advocatorum munus. ibidem.  
 Advocatorum laudes. ibidem.  
 Advocatorum versutiæ. ibid. & seq.  
 Advocatus multiloquus, nomine Chœfifons, ejectus à Sena-  
 tu. 1. 155.  
 Adulationis dama. 2. 132.  
 Ab Adulatoribus quantum debeat præcavere Principes.  
 2. 131.  
 Adulatio ab omnibus reprobata, ferè omnibus placet. 2.  
 159.  
 Adulatorum caracter. 2. 172. 173.  
 Affectui proprio parum credendum.  
 Affectus alius carnalis, alius rationalis. 1. 307.  
 Affectus Ecclesiasticorum immoderatus adversus cognatos  
 perstringitur. 2. 189.  
 Agathocles Rex Siciliæ, quo stimulo ad regnum assumptus,  
 moderationem servaverit. 1. 221.  
 Agendum pro ratione, non pro libitu. 2. 77.  
 Ambitio quomodo infestet Ecclesiam. 1. 160. 161.  
 162.

- Ambitio ferè omnes torquet, & ferè omnibus placet. 2. 32.  
 Ambitio nunquam satiatur. ibidem.  
 Ambitione ferè magis torquentur, qui magis umiles esse  
 deberent. 2. 35.  
 Ambitio Superiorum Regularium, quām perniciosa ob-  
 servantiæ. 2. 35.  
 Ambitio in Clero suum fomentum undè auriat. 2. 88.  
 89. 90.  
 Ambientium doli perstringuntur. 2. 174. 175.  
 Antigonus de dominatione quid senserit. 1. 9. Quid Al-  
 fonsus 11.  
 In Angustiis propriis constantes, in alienis condolentes  
 esse debemus. 1. 309.  
 Appellationes quām necessariæ. 2. 36. 37.  
 Appellationum abusus expenditur. ibidem.  
 Appellationum facilitas, quam perniciosa justitiæ. 2. 38.  
 Appellationes quantà cum cautelâ permittendæ. 39.  
 Appellantes injustè, debent succumbere expensis appellato-  
 rum. 40.  
 Appellantes injustè, non evadant impunes. 2. 50.  
 Appellatio de toto mundo ad Romanum Pontificem,  
 testimonium Primatus. 2. 40. 41.  
 Appellatio ad Pontificem, quām necessaria. ibidem.  
 Appellationes injustas reprobat Conc. Trid. 2. 52.  
 Appellationum contra æquitatem damna. 2. 53.  
 Appellationum in justarum fomes. ibidem.  
 Appellationum abusus. 2. 54. 55. 56. 57.  
 Apostolus quomodo omnium servum se fecerit. 1. 64. 65.  
 Apostolus quomodo factus omnia omnibus. 1. 88. 89.  
 Apologia D. Bernardi de Sacra expeditione. 1. 174. &  
 seq. item 177.  
 Apologia explicans mentem D. Bernardi circa ea, quæ  
 de Populo Romano scripsit in libro de Consideratio-  
 ne. Vide introductionem ad opus.  
 Apologia pro defensione Operis inscripti : *Lexicon Pole-  
 micum*. 1. 189. & seq.

- Archiepiscoporum Moguntiæ, & Coloniae causa, tempore  
D. Bernardi Romæ excussa. 1. 67. 68.
- Argentum ubi micat in luto, & quomodo. 2. 140.
- Avaritiae vitium, quam turpe in Ecclesiastico. 2. 65.
- In avaritiae vitium, quam facile Ecclesiastici impingant.  
1. 326.
- Avaritiae idolo, quam pauci sint, qui non prætent obse-  
quium. 1. 327.
- Avaritia plus quam cetera vitia, insidiatur Ecclesiasticis.  
2. 64.
- Aulicorum pietas pericitatur in multis negotiis. 1. 36.
- Ad aulicos Bernardi monitum. ibidem.
- Aulici plus favent majestati, quam veritati. 2. 108. 109.
- Aula facilius recipit bonos, quam faciat. 2. 178. 179.
- Differentia inter Aulicum, & Monachum. 2. 179.
- Audientiam exhibere tenetur, qui publicis præsidet re-  
bus. 1. 158.

## B

- B**ENEDICTI XIV. electio in Summum Pontificem.  
2. 45.
- Beneficiati proventus, qui à convenienti sustentatione su-  
persunt, quomodo expendere debeant. 1. 229.
- Beneficiorum pluralitatem Canones non permittunt. 2. 29.
- Beneficiorum pluralitas, quam pernicioса. 2. 30.
- Beneficiati in expensis necessariis tantum, non superfluis,  
possunt fructus expendere. 2. 30.
- Quæ sint expensæ necessariæ. ibidem.
- Beneficiis pluribus cumulati, sèpè sordidius vivunt, quam  
qui uno contenti. 2. 30.
- Divitiae per beneficia cumulatae, quomodo evanescant.  
2. 31.
- Beneficia Ecclesiastica adolescentulis collata, improbat San-  
ctus Bernardus. 2. 33.

- In hac causà quid scriperit ad Comitem Theobaldum. *ibidem.*
- S. Pius V., de Beneficiorum collatione, in hac causà quid senserit. 2. 34.
- Beneficia Ecclesiastica conferenda dignioribus, non potenteribus. 2. 141.
- Beneficium debet esse omnino gratuitum. 2. 61.
- S. Bernardus in Philosophicis disciplinis, quam eruditus. 1. 211.
- Quanta cum ingenuitate loquatur in libris de Consideratione. 1. 270.
- Ejus zelus contra appellations injustas. 2. 55. 56.
- S. Bernardus in libro de Consideratione scripsit ad Pontificem, non propter Pontificem. 2. 66.
- S. Bernardi monita ad Ecclesiasticos. 2. 90.
- Monita ad Regulares. 2. 90. 91.
- Monita ad Principes. 2. 59. 60.
- S. Bernardus, de moribus, & officio Episcoporum, quid scriperit. 2. 150.
- De Potestate temporali Summi Pontificis, quid senserit. 2. 156.
- Item de Primatu Pontificio. 2. 223. 224.

## C

- D**E Canonum Ecclesiasticorum observantia. 2. 95.
- Canones præcipientes honestatem habitus Clericorum. 2. 98. 99. 104.
- Circa honestatem habitus Clericalis monita. *ibidem.*
- Carismata Episcoporum prudentia, & sapientia. 2. 133.
- De Cardinalium electione. 2. 164. 165.
- Cardinales totius orbis judices, quoram toto orbe judicandi. 2. 166.
- Quos supplices non admiserunt in vita, accusatores sustinebunt in morte. *ibidem.*

Car-

- Cardinales aliqui in morte exclamare coacti : *Quoniam elevans allifisti me*. ibidem.
- Catalogus virtutum, quibus decorari debent Ecclesiastici Proceres . 2. 180. 181. 182. 183. 184. 185.
- S. Carolus Borromaeus factus Episcopus, quid senserit de studio juris civilis . 2. 198.
- Causæ quomodo agitandæ . 1. 152. 154.
- Causæ per viam breviorem decidendæ, juxta mentem Concilii Tridentini & Lateranensis ultimi . 1. 155.
- Causæ pauperum præferendæ . 156.
- Inter causas, & cavillationes distinguendum . 1. 159.
- Cathedra Episcopalis specula . 1. 243.
- Cautè ambulat, qui semper timet offendere . 1. 274.
- Cautela adhibenda in promovendis ad Ordines . 1. 67. 68.
- Clericorum sub nomine, qui veniant . 2. 104.
- A Clero Romano in omnem Ecclesiam debet Clericalis forma procedere . 2. 109. 116. 117. 118. 119.
- Clerici ambitionis qui censendi . 2. 168.
- Clerus sacerdotalis, & regularis in quo differant . 2. 94.
- Clerus uterque debent sua promovere incrementa . ibidem.
- Cognitio sui, quam necessaria in omnibus, præcipue in Ecclesiasticis . 1. 19.
- Ad cognitionem sui, quid considerandum . 1. 233. & seq.
- Cognitio rerum omnium, sine cognitione sui, superflua . 1. 206. 207. 208.
- Cognitio nulla admittenda, quæ sit vel contra, vel præter salutem . 1. 212.
- Confabulationum frequentia, quam perniciosa . 2. 185.
- Consuetudinis quanta sit vis . 1. 25. 27. 28. 2. 131.
- Malæ consuetudinis damna . 1. 29.
- Malis consuetudinibus initio resistendum . 1. 30. 31. 32. 59.
- Conscientiæ opus consulere, & famæ . 2. 71. 72.
- Conscientia bona, optima cuique excusatio . 1. 187.
- Con-

- Conscientiam magis quam famam opus est attendere. 1.  
187.
- Considerationis definitio. 1. 124.
- Considerationis munus. 125.
- Debet omnes actiones prævenire. ibidem & seq.
- Considerationis effectus, & proprietates. 1. 127.
- Considerationis consideratio. 1. 198.
- Eiusdem effectus. ibidem.
- Considerationis objectum. 1. 213.
- Consideratio, contemplatio, cogitatio, meditatio, an dif-  
ferant. 1. 199. & seq.
- Considerationis objectum quotuplex. 1. 202.
- Consideratio inchoare debet à cognitione sui. 1. 203.  
204. 210.
- Considerandum quales sumus, & quales fuimus. 1. 301.
- Considerandum quanti, & quales sumus. 1. 289.
- De contemplatione. 1. 201.
- Concionatoribus monita necessaria. 1. 319. 320. 321.
- Conscientia propria unicuique fidelis monitor. 1. 273.
- Consiliarius Moysis quis fuerit. 1. 48.
- Ad Consiliarios Principum monita. 1. 97. 98.
- Consiliarii, quam necessarii Principibus. 1. 49.
- Qui eligendi in Consiliarios, & Confessarios. 1. 96.  
183. & seq.
- Consiliarii debent meliora proponere, & quomodo. 1.  
183.
- Consilium in arduis rebus querendum à pluribus. 1. 184.
- Consiliarii Bernardo pares, quam necessarii nostris tem-  
poribus. 1. 261.
- Consilia quo magis secreta, eò meliora. 1. 185.
- In convivio Prælatus sit semper compositus. 2. 185.
- Cor durum quale sit. 1. 37. 38. 39.
- Ad emolliendam cordis duritiam, remedia. 40.
- Correctio incongrua plus exasperat, quam liniat delin-  
quentem. 1. 145.
- Crinium tonsura in Clerico, quid significet. 2. 99.

- Cupiditas in Ecclesiasticis, omnium malorum radix. 2. 28.  
 29. 188.  
 Cupiditatis humanæ insatiabilitas expenditur. 2. 78.  
 Curam animarum exigit Deus à Prælatis, non curationem.  
 2. 125. 126. 148. 158.  
 Ad curam impendendam quid necessarium. 2. 127.  
 A' curiositate cavendum. 2. 202.  
 Curiosus investigare Superiorum facta, subditis non est  
 permissum. ibidem.

## D

- D** Eo sine fraude resignanda, quæ Dei sunt. 1. 298.  
 Qui fint, qui fideliter non resignant. 1. 298. 299. 300.  
 Detrahentium caracter. 1. 324. 325.  
 Detractiones non licet loqui, nec audire. 1. 324.  
 Detractio familiare vitium in aulis. 2. 207. 208.  
 Dignitates argumentum doloris. 1. 11. 15. 126. 228.  
 Ad dignitates inviti promovendi. 1. 16.  
 Dignitates perfectionem exigunt, sed non perficiunt. 1.  
 274.  
 Dignitas non ornat virtutem, sed virtus dignitatem. 1.  
 275.  
 A' Dignitatibus, quæcumque sint, potest homo decidere,  
 & quomodo. 1. 282.  
 Ad Dignitates Ecclesiasticas ascendendum per gradus,  
 non per saltus. 2. 100.  
 Ad Dignitates Ecclesiasticas juniorum promotio per-  
 stringitur. 101.  
 Ad Dignitates Ecclesiasticas, qui promovendi, & ab  
 iisdem qui eliminandi. 2. 176. 177. 180. 181.  
 Promovendi ad Dignitates, quos promovisse non poeni-  
 teat. 2. 177.  
 Promovendi ad Dignitates viri probati, non proban-  
 di. 2. 178.

In

- In Dignitatibus conferendis soli merito deferendum. .  
 2. 203.
- Dispensatio, ubi necessitas urget, excusabilis, ubi utilitas  
 communis provocat, laudabilis. 2. 84.
- Dispensationes quando transeat in dissipationes. 85.
- Quanta cum cautela dispensandum. ibidem.
- In materia dispensationum S. Bernardus quid senserit.  
 86.
- Dispensatio quam facile transeat in dominationem. 2.  
 14.
- Divitias Ecclesiastici Præfules possunt possidere sine præ-  
 judicio sui muneris. 1. 247.
- Qualiter debeant Præfules divitias expendere. 248. &  
 seq.
- Disciplina regularis ab indisciplinatis Superioribus ut plu-  
 rimum enervata. 2. 90. 91. 92.
- Domesticorum compositio quantum conferat Episcoporum  
 quieti. 2. 114.
- Dominandi libido, quam onerosa. 2. 15.
- Dominandi libido in Superioribus regularibus, quam per-  
 niciosa observantiæ regulari. 2. 16.
- Dominium temporale quo jure cohæreat cum Summo Sa-  
 credotio. 1. 251. 252. 253. 254.
- Dolus in spiritu nostro quando inveniatur. 1. 297.
- Domui suæ, & Ecclesia benè præesse, quomodo possit  
 Episcopus. 2. 195. 196.
- Dotes in Ecclesiasticis necessariæ. 2. 186.

## E

- E**cclesiastici viri caracter expenditur. 2. 120. 121.
- Ecclesiarum spoliæ quæ sint. 2. 139.
- Ecclesiasticorum servitus undè ducat originem. 1. 57.
- Ecclesiasticus de suis redditibus potest, imo debet subve-  
 nire consanguineis, dummodo sinè excessu. 1. 61.
- To. II. I i Cum

- Cum debito decore debet incedere , sed non excede-  
re . 1. 60.
- Ecclesiasticum vivere de altari , congruum . 1. 66.
- Ecclesiastici , qui non laborant in Ecclesiâ , non possunt  
manducare panem Ecclesiæ . 1. 240.
- Prohibitio est Apostolica . ibidem .
- Ecclesiastici , qui manducant panem non suum , qui sint .  
ibidem .
- Ad Ecclesiasticos , qui vivunt deliciis resoluti , parenesis .  
1. 241. 242.
- Ecclesiastici pro nepotibus laborantes , quâm miseri . 1.  
249.
- Ecclesiastici nobiles majoris habent humilitatis argumen-  
tum . 1. 224.
- Ecclesiasticorum curæ superfluæ , multiplices . 1. 292.
- Ecclesiasticus ab avaritia alienus , ut plurimum in omni-  
bus commendabilis . 1. 326. 327.
- Ecclesia à quibus sit agitata . 1. 244.
- Episcopi pro bono regimine tria debent impendere , cu-  
ram , substantiam , seipso . 2. 133.
- Episcopus , quantum possibile est , debet per se , non per  
Vicarios munus suum adimplere . 2. 148. 149.
- Episcoporum absentia à Diocelesi quâm perniciofa . 1. 236.  
2. 169.
- Ad Episcopatum vocatus an possit , sub prætextu vacandi  
melius Deo , à curâ pastorali se subtrahere . 2. 170.
- In præsenti materia Sanctorum Patrum sententiae . 2.  
171. 172.
- Episcoporum electio quantâ cum cautelâ facienda . 2. 176.
- Episcopi quibus præsidiis reverentiam sibi conciliare va-  
leant . 2. 186.
- Episcopi domum decet sanctitudo . 2. 214. 215.
- Episcopus inter austерitatem , & affabilitatem debet se  
continere . 2. 215. 216.
- Episcopus sit actu severus , vultu serenus , verbo serius .  
2. 218.

Ad

- Ad Episcopum facilis sit accessus. **I. 50.**  
 Episcopi procul vivant à strepitu litium. **I. 53.**  
 Cum debito decore debent incedere, sed non excede-re. **I. 60.**  
 Episcopus tenetur orare pro Dioecesani. **I. 72.**  
 Episcopo plus congruit scire legem Domini, quam Justi-niani. **I. 72. & seq.**  
 Episcoporum debitum expenditur. **I. 91. 248.**  
 Episcopus primò est debitor sibi, deinde aliis. **I. 94.**  
 Episcopale munus bene perficere, quam difficile. **I. 8.**  
 Episcopalis honor, & labor comparantur. **I. 235. 236.**  
 Episcopi quidquid laborent, semper eos novus labor expe-ctat. **I. 237.**  
 Episcopi nomen dominium non sonat, sed officium. **I. 245.**  
 Episcopus idem sonat ac speculator. **I. 246.**  
 Episcoporum gloria qualis esse debeat. **I. 256.**  
 An cum gloria Episcopali cohærent divitiae. ibidem.  
 Episcopi non laborantes, non sedebunt judices, sed sta-bunt judicandi. **I. 258.**  
 Episcopis quam necessarium serium sui scrutinium. **I. 295.**  
 Qui sint Episcopi deficients in hoc scrutinio. **296.**  
 Exemplum Principis quantum efficax in subditis. **I. 169.**  
 Exemplo Apostolorum excitantur Episcopi. **I. 267.**  
 Expensarum excessus, in agitatione causarum, unde prove-niat. **2. 51.**  
 In exemptionibus concedendis quanta cum cautela de-beat procedere Pontifex. **2. 79.**

## F

- F**acta ex eventibus non pensanda. **I. 186.**  
 Facilitas credulitatis, quam perniciosa in judiciis. **I. 330.**  
 Felicitas magis est obnoxia periculis, quam adversitas.  
**I. 310.**

- Fælicitates, & angustiæ vicissitudinem habent. 1. 311.  
 Inter fælicitates facilius despimus, quam inter adversitates. 1. 311. 312.  
 Fraudes quantum invaluerint. 1. 148.

## G

- G**entilibus incessanter prædicandum Evangelium, quamvis ex prædicatione modicum colligeret Ecclesia fructum. 1. 257.  
 Gloria Prælatorum in quo reposita. 1. 257.  
 Gravitati Ecclesiasticæ confabulationes inutiles quantum infensæ. 2. 185.  
 Gradus summus, & animus infimus monstruosa res. 1. 272.  
 Græcorum pertinacia. 2. 24.

## H

- H**æreticorum modernorum character. 2. 18. 19. 20.  
 21.  
 Ex hæreticis alii vincuntur, alii solum convincuntur. 2. 25.  
 Hæretici an possint vi armorum reduci ad bonam frugem, vel solis argumentis sit cum ipsis agendum. 2. 25.  
 Augustini, & Bernardi sensus in præfata materia. 2. 25. 26.  
 Hæretici, contra Pontificem infensi, reprobantur. 2. 44.  
 Hæretici, temporibus D. Bernardi debaccantes, perstringuntur. 2. 138. 139.  
 Hominis definitio expenditur. 1. 214.  
 In homine duo consideranda, imago, & similitudo. 1. 214.  
 Filosophicè, & moraliter de humana natura differitur. ibidem & seq.

Quid,

- Quid, quis, qualis sit homo, considerandum. 1. 213.  
 De quo sit factus. 1. 218. 282. & seq.  
 Omnis homo, nemine excepto, repletur multis miseriis. 1. 285. 286.  
 Homo considerandus, & quantus, & qualis. 1. 287. 288.  
 Ad honestatem vitæ Clericalis servandam, tria necessaria.  
 2. 104. 105.  
 Honorem in honore contemnere, humilitatem in dignitate servare quomodo quis valeat. 1. 222. 223.  
 Humilitas debet esse major in Præsule, quod major est ejus nobilitas, & virtus. 1. 224.  
 De humilitatis necessitate in Superioribus Ecclesiasticis.  
 1. 269.  
 Humilis an semper censendus, qui humilis apparere contendit. 2. 174.

## I

- I**mpunitas est transgressionum fomentum. 2. 105.  
 Ingenuitas digna viro Ecclesiastico. 2. 201.  
 Injuriis impetus, quomodo se gerere debeat. 1. 306.  
 Iraisci aut nihil, aut nimis, utrumque fugiendum. 1. 331.  
 Judicium causarum secularium an competit Episcopis. 1.  
 105. & seq. 109. 110.  
 Judices causarum secularium sunt Principes. 1. 113.  
 Ecclesiasticarum Episcopi. 114. 115. & seq.  
 Judex nunquam debet esse partialis. 1. 151.  
 Judicis character. 1. 157.  
 Judicium triplex, odii, timoris, & amoris. 1. 329.  
 Justum, & justè judicandum est. 1. 331.  
 De Judice venali. 2. 49.  
 Judex invigilare tenetur ne venales habeat domesticos.  
 2. 50. 51.  
 Justum esse in opinione hominum non sufficit. 2. 66. 67.

## L

- L** Abotus philosophus de Oratore multiloquo quid senserit. 1. 154.  
**L**ibri de Consideratione exterminant amorem mundi, & amorem sui. 2. 3.  
 Ex lectione SS. Patrum, quare non proficimus. 2. 4.  
 Ad lectionem Sacrorum librorum quomodo accedendum. 2. 4. 5.  
**L**ibri de Consideratione quam opportuni ad componendum Ecclesiasticum juxta Sacros Canones. 2. 6.  
 In libris de Consideratione agitur de his quae sunt *intra*, *extra*, *circa*, *infra*, *supra* Pontificem. 2. 8.  
 Libido dominandi, quam misere torqueat. 2. 15.  
 Omne licitum an semper expediat. 2. 76. 77.  
 Libertinorum clamor ubi agitur de reformatione morum. 2. 129. 130.  
 Longam sibi promittentes vitam, quam decepti vivant. 1. 291.  
 Loqui de Principibus quanta cum cautela necesse sit. 1. 5. 186.  
 Item de Sacerdotibus. ibidem.  
 Luxus Prælatorum expenditur. 2. 73.  
 Lysander quare militem de via deflectentem castigaverit. 1. 13.

## M

- M**agni in minimis, & minimi in magnis, qui censi debeat. 1. 219. 220.  
 Magnates, & Aulicos corrigere, quam gravis provincia. 2. 108. 109.  
 Malo, qua ratione quis uti possit in bonum. 1. 145.  
 Mandatorum Summi Pontificis neglectus semper est gravis. 2. 96.

Man-

- Mandata Superiorum an liceat subditis examinare. 2. 96.  
 97.  
 Inter mandata, alia sunt pura bona, alia pura mala, alia media. 97.  
 An mandatis omnibus debeat subditus indiscriminatim obedire. ibidem.  
 Superior, inobediente subdito, quando gravius peccet, quam subditus. 2. 98.  
 Merces à Deo datur proportionata labori. 1. 257. 258.  
 Medium tenere debet, qui non vult perdere modum. 1. 289. 290.  
 In Ministris Ecclesiæ, quam servitutem reprobat S. Bernardus. 1. 70.  
 Ministrorum peccata aggravant Principem. 2. 162.  
 In sola Ministri providentia quiescens Princeps, non satisfacit debito. 2. 206. 207.  
 Ministerio Principis addicti, debent esse honorati. 2. 220.  
 Debent sufficienti stipendio sustentari à Principe. 221.  
 222.  
 De Ministrorum electione, documenta. 2. 162.  
 De Ministrorum auctoritate. ibidem.  
 In Ministros, qui eligendi. 2. 205.  
 Ex missionibus quare modicum colligat Ecclesia fructum. 2. 27. 28.  
 Morum Ecclesiæ primitivæ cum præsentibus, quanta disceptantia. 1. 148.  
 Mors æquat omnes. 1. 281.  
 Mortale quomodo rationale humiliet. 1. 215. & seq.  
 Monarchicum regimen, inter omnia gubernia, præstantissimum. 2. 41.  
 Munera enervant auctoritatem in judicibus. 1. 169.  
 Munus Episcopale rectè implendi gratia, à Deo poscenda. 1. 265.  
 Munerum receptio, post discussam causam, permissa. 2. 69.  
 Abstinentia omnimoda à receptione munierum, quam comendabilis. ibidem.

- De receptione munerum . 2. 183.
- De munere Pontificio plura Bernardi monita . 2. 87.  
88.
- Ad munus Episcopale obeundum electis , Deus gratiam  
impertitur . 2. 127.
- De officio , & munere Episcoporum . 2. 157.
- Munerum receptio perficitur . 2. 190. 191. & 221.
- Munerum receptio quantis malis obnoxia . 2. 190.

**N**

- N**Obilitas in quo sita . 1. 268.
- Nobiles adsciti in Clero , quanta cum injuria sui sta-  
tus , plus deferant nobilitati , quam characteri Ecclesia-  
stico . 2. 187.
- Nondinatores in Ecclesia qui sint . 1. 163.
- Novitates semper ingerunt admirationem . 1. 143.
- Nugae in ore saecularium , in ore religiosorum blasphemiae .  
1. 315. & seq.
- Nugae nunquam referenda . 1. 317.

**O**

- O**ccupationes externæ , si nimiæ , quantum nocivæ . 1.  
34.
- Occupationes , quæ Ecclesiastico non conveniunt , quales sint .  
1. 34. 35. 44. 58. 2. 111. 112.
- Optimi qui censendi . 2. 9.
- In operibus Ecclesiasticorum Deus plus computat labo-  
rem , quam fructum . 2. 128.
- Oratio esse debet præcipua Ecclesiasticorum occupatio . 2.  
189.
- Oris custodia , quam utilis . 2. 217. 218.
- Ordo claustrorum , & ordo saeculi , quam disparati . 1. 13.
- Otium

Otium quām cautē fugiendum. 1. 314.

Otium inter curas, quomodo etiam triunfare valeat. 1.

313.

# P

**P**apa omnia potest. 2. 75.

Panem non suum manducantes in Ecclesia. 1. 240.  
Pastorum veterum à modernis discrepantia. 2. 134. & seq.

Pastores inepti qui sint. 1. 266.

Inter pastorem, & mercenarium differentia. 1. 264.

Pauper qui censendus. 1. 249.

Patientia vera quæ sit. 1. 54.

Patientia quando non expedit. 1. 55. 56.

Personarum acceptio enervat judicia. 1. 328.

Pietas multipliciter accipitur. 1. 123.

Pietas malè colorata. 2. 73.

Pontificis munus, quām laboriosum. 1. 8. 9. 15.

Pontifex quarè servus servorum dictus. 1. 64.

Pontifex in Ecclesiastico regimine à Dei sapientia dirigitur. 1. 182.

Pontifex distributor bonorum Ecclesiae.

Pontifici euge euge, qui dicant. 2. 139.

Pontifici debetur comitatus Regius. 2. 151.

Pontifex quām modestè se gerat in victu, & habitu. 2. 151.

Pontifex suo nutu, & sua manu potest evaginare gladium.  
2. 153. & seq.

Pontifici Romano omnes sunt subjecti. 2. 10.

Pontifica, inter omnes dignitates, suprema. 2. 46.

Pontificum dies, quam breves. 2. 46. 47. & seq.

Potestatis plenitudo semper cum plenitudine justitiae debet conjungi. 2. 74. 75.

Potestas temporalis subordinata est spirituali. 2. 11. 12. 13.

To.II.

K k

Po-

- Potestates diversæ in Ecclesia à Deo institutæ . 2. 80. 81.  
 . Uniquæque debet munus suum perficere . ibidem .  
 Prælati , in medio domus Dei facientes superbiam , qui sint .  
 1. 229. 230.  
 Prælatorum labor quare rusticano schemmate exprimatur .  
 1. 231.  
 Prælatis Ecclesiæ cum ministerio , etiam collatum à Deo do-  
 minium . 1. 232.  
 Præminentia cupiditas quot malorum ferax in aulis . 2.  
 191. 192. 193.  
 Præminentia cupiditas ex sui ignorantia pullulat . 2. 192.  
 Præminentia quæstio , quam difficilis solutionis . 2. 192.  
 193.  
 Principes , quos eligere debeant in consiliarios . 1. 6.  
 Principatus onera , quam gravia . 1. 7.  
 Princeps quæ recto dictamine movet , promovere debet . 1.  
 18.  
 Seligere debet in consiliarios , qui suadeant bona , &  
 benè . 1. 79. 80.  
 Sanis consiliis debet acquiescere . 1. 183.  
 Princeps quis censendus . 1. 150.  
 Princeps nunquam bonus , ubi mali sint consiliarii . 2.  
 159. 160.  
 Non sufficit Principem bonum esse sibi , nisi bonus sit  
 subditis . 2. 161.  
 Principis domus esse debet ad probitatem composita . 2.  
 161.  
 Principis vultus esse debet amabilis simul , & severus . 1.  
 165.  
 Attendent subditi non tam quid loquatur , quam quo  
 vultu loquatur . 1. 166.  
 Æquè crudelis si nunquam dimittat , ac si semper par-  
 cat . ibidem .  
 In judiciis suis meminerit se esse hominem . ibidem .  
 An pro bono regimine debeat potius ad rigorem , quam  
 ad dulcedinem propendere . 1. 167.

Debet esse paratior ad effundendum , quam ad recipiendum . 1. 168.

Damna regiminis ubi nummularii fidere possunt in nummis ; ad rem Theodardi , & Totilæ exempla . ibidem .

Principes catholici à Pontifice quare filii vocati . 2. 42.

Principes Christi Vicario submissionem profiteri hortatur S. Bernardus exemplo Conradi Romani Imperatoris .

2. 43.

Exempla aliorum Regum , & Principum proferuntur . ibidem .

Principem agere , quam difficilè . 2. 58. 59.

Princeps debet esse beneficus , & benevolus . ibidem .

In Principe defectus graviores , quam in subditis apparent . 2. 62.

Princeps subditorum felicitati debet intendere , plus quam propriæ . 2. 63.

Principi pro libitu agere , non pro ratione , quam indignum . 2. 77.

Principes oculati vivant super ministros suos . 2. 109. & seq.

Moribus compositos eligere debent Ministros , & Collaterales . ibidem .

Principis auctoritati quantum deroget destituenda statuere . 2. 177.

Promittere , & non adimplere , idem ac decipere . 1. 172.

Prosperitas cum moderatione difficile componitur . 1. 313.

Promissa frangere vitium jam penè commune . 1. 172.

Prudentia quare dicatur , quod paucorum sit . 139. 140.

## Q

**Q**uid ante eramus prius considerandum , mox quales simus . 1. 279. 280.

Quies claustralium cum vexationibus sacerdotalium compara- rata . 1. 13.

Quis , & quid sit homo . 1. 278.

**R**

- R**egulares superiores, qui libidine dominandi torquentur. 2. 15. 16.  
**R**egulares, quamvis Superiores, de rebus Monasterii nequeunt pro libitu disponere. 2. 17.  
 Possunt dispensare, non dissipare. ibidem.  
**R**egulares Ordines Ecclesiae propugnaculum. 2. 93.  
 Qui sensus nunc temporis de Regularibus apud heterodoxos. ibidem.  
**R**egularis observantiae corruptela, undè. 2. 92.  
 Reverentiam sibi conciliant Ecclesiastici actu, non fastu. 2. 186.  
**R**erum sublunarium inconstantia. 1. 311.  
**R**eus est, non qui accusatur, sed qui convincitur. 1. 186.  
 De Romani Pontificis electione. 1. 44. 45.  
**R**omani populi sub nomine, quos exprimere intellexerit S. Bernardus. 2. 122.  
**R**omani populi Cives, Nobiles, & Optimates, viri sublimes, illustres, gloriosi à S. Bernardo nuncupantur eadem in epistola, in qua protertos, tumultui assuetos &c. declamat: argumentum convincens in præfatis convitiis sermonem non habuisse ad Cives Romanos. 2. 124.  
**R**uina aliorum nostra debet esse cautela. 1. 186.

**S**

- S**apiens non est dicendus, qui sibi non est sapiens. 1. 209.  
**S**apientia vera quæ sit. 1. 234.  
**S**acerdotes multi, operarii pauci. 1. 239.  
**S**cythicorum Princeps qua pœna aulicum de Sacerdote malè loquentem emendaverit. 1. 5.

Scri-

- Scripturæ controversias Scriptura semper non solvit . 1.
- 193.**  
Servitus affectata miserabilior coacta . 1. 81. 82.
- Sermo brevis efficacior . 1. 154.
- Quoram magnatibus competentior . 1. 332.
- Sermones nugaces non decent virum Ecclesiasticum . 1.  
322.
- Superbiæ , & vanitatis origo , undè . 1. 282.
- Subdito an liceat examinare Superioris mandata . 2. 96. 97.
- Subditi plus respiciunt ad retributiones , quam ad leges .  
2. 137.
- Suspicionis vitium quare sit familiare . 1. 12.
- Maximè in aulis . ibidem .
- Ab Aula sua quomodo Pontifex possit suspicionem avertere . 1. 13.
- Summus Pontifex habet spiritum interpretativum S. Scripturæ . 1. 193.
- Summus quis , & quando censendus . 1. 275. 276.
- Superiores tenentur proficere in virtutibus . 1. 302. 303.
- Superior , qui sinè quærela præst apud homines , non ideo semper est sinè culpa apud Deum . 1. 332.
- Superiorum incuria , quam grave malum . 2. 103.
- Superiores desides inferiorum culpis dant fomentum . 2.  
106.
- Superiore præsente quidquid perperam agitur est illi turpius . 2. 119.
- Superior humilis facilè promovet subditorum sanctimoniam . 2. 142.
- Superiorum fastus perstringitur . 2. 143. 144.
- Superior non est necesse , ut omnia sciat . 2. 210.
- Plura debet dissimulare , nonnulla oblivisci . ibidem & seq.
- Quæ nescire expedit , dissimulare , & oblivisci . ibidem .
- Quæ sint , quæ ignorare non debet . 2. 212.
- Superior in ultione culparum , quomodo debeat se gere  
re . 2. 214.
- Superiorem amari satius est , quam timeri . 2. 217.

- Statuta pro charitate foyenda, pro charitate amplianda  
possunt destitui. 2. 84.
- Studia Juris civilis quare magis frequentata à modernis  
Clericis. 2. 197.
- Studiis Monasticis, plus quam Curialibus, opus habet Ec-  
clesia. 2. 199. 200.

**T**

- T**empus redimendum in sapientia. 1. 147.
- Tempora longa qui sibi metitur, ingreditur iter ex-  
terminii. 1. 294.
- Temporis ratio, & cura habenda. 1. 314.
- Terræ australis nomine, quam orbis oram intelligat San-  
ctus Bernardus. 2. 27.
- Theologia moderna, quam plerique sequuntur. 2. 145.  
146.
- Titulis plus profanis, quam sacris gloriantur plures Eccle-  
siastici. 2. 187.
- Titulorum affectatio, dominationis indicium. 2. 14.
- Tituli humilitatis potius quærendi. 2. 14.
- De titulis affectatis. 2. 187.
- Timor Domini in aulis simplicitas reputatur. 2. 144.
- Tribulationes quantum proficuae ad compositionem morum.  
1. 313.
- Tridentini Concilii monita ad Clericos. 2. 105.

**V**

- V**aniloquii culpa quanta cum sollicitudine fugienda.  
2. 185.
- Quam facile in eam impingant Ecclesiastici. ibidem.
- Veritatis inopia multa in aulis, & quarè. 1. 5.



- Vexationes humanæ, quam futilles. 1. 21.  
 Vexationi Episcorum sàpe plus conferunt domestici,  
     quàm exteri. 2. 144.  
 Verbum otiosum quale sit. 1. 323.  
 Viri boni consilii, quam rari. 2. 167. 168.  
 Virtutis meditulum an sit ipsa virtus. 1. 137.  
     De Virtutibus Cardinalibus. 1. 129.  
 Virtutes aliæ internæ, aliæ externæ. 1. 302.  
 Vitia quare sàpe non reparantur à Superioribus. 1. 160.  
 Vitia Principis magis infensa bono regimini, quàm vitia  
     subditorum. 1. 271.  
 Villegisi Episcopi humilitatis exemplum. 1. 225.  
 Visitatio Dioecesis, quam necessaria. 1. 244.  
     Documenta ad visitationem benè instituendam. 1. 245.  
 Vocatio ad Episcopatum, quàm seriò examinanda. 1. 260.  
 Urbis, & Orbis providentia, instantia quotidiana Pontifi-  
     ciæ sollicitudinis. 2. 114.  
 Vulpes demolientes vineam evangelicam. 2. 20.  
 Urbanitatis nomine frustra colorantur sermones inutiles.  
     2. 219.

## Z


- D**E zelo, clementia, & discretione differitur. 1. 304.  
 Zelus debet habere comitem clementiam, & discre-  
     tionem. 1. 305.  
 Item bonitatem, disciplinam, & scientiam. ibidem.  
 In zelo exercendo habenda est ratio loci, & tempo-  
     ris. 1. 306.


- Vestiges primariae, dum huius et al.  
Vestiges primariae, dum huius consument domum  
dum exponit. c. 150.
- Vestiges oculorum dabo mihi. i. 383.
- Vestiges poni coniuncti, dum tunc. c. 182.
- Vestiges membra na si ibi vivens. i. 183.
- D. Veneris Oculibus. i. 183.
- Vestiges oculi interius, sive signos. i. 180.
- Vitis chrysocoma non poterat a propagatione. i. 180.
- Vitis Purpurea major imponit fructu signum, dum vitis  
lupinorum. i. 181.
- Vitis liliacae primitivis excepimus. i. 182.
- Vitis Diocaea, dum resuscitata. i. 182.
- Decumanez ha. vitis liliacae dum resuscitata. i. 182.
- Vitis ha. liliacae, dum resuscitata. i. 182.
- Uva, & Opus levioribus, i. 183.
- oia foliabilis, & 114.
- Vitis decoloratae, dum evanescit. & 183.
- Vitis decoloratae, dum exponit. i. 183.


## A

- D. Et raro, quemadmodum, & quod raro difficitur. i. 405.
- Et raro, quod raro difficitur. i. 405.

## L I N I S I N D I C I S .









LIBRARY  
SONGS  
T. H.

1712

4193